te pro negotio communis prędicti, tunc pro prædictis ambasiatoribus prouideri possit, & fieri expensa inde necessaria. Et si contrafecerint, non valeat ipso iure id quod factum fuerit, vel prouisum contra formam suprascriptam. Et vlterius quilibet de dicto Consilio quatuor Deputatorum condemnati sint, & esse intelligantur in soldis centum Imperialium pro qolibet. Et quod ipsi Deputati nō possint ad prædicta cogi per Dominum Potestatem prædictum, nec ad faciendum aliquid quod sit contra, vel præter dispositionem præsentis Statuti, pœna imminente præfato Domino Potestati ad arbitrium Illustrissimi Domini Domini nostri, qui contra prædicta fecerit. Et quod prouisiones factæ, & fiēdæ in dicto Consilio, per aliquam coblam de ipsis sapientibus, nō possit per ipsis, nec per aliquos successores reuocari, mutari, corrigi sine licentia & auctoritate dicti Consilij generalis. Et quòd petita, lecta, vel terminata in ipso Cōsilio pro vna vice, non possit alia vice in ipso Consilio peti, legi, vel terminari, & si aliter factum fuerit, non valeat ipso iure. Et quilibet de dicto Consilio generali, & quilibet de dicto Cōsilio quatuor Deputatorum, debeat die, & hora statutis ad Consilium venire, & interesse quotiensc unque per sonum campanæ, vel correrium fuerit citatus, vel etiam euocatus personaliter, & non per alium, Saluo vt supra in Consilio generali dictum est, sub pœna solidorum quinque imperialium, pro quolibet & qualibet vice.

Rubrica, quod Dominus Potestas possit, & debeat interesse consiliis fiendis.

ITem quòd Dominus Potestas Casalismaioris, possit & debeat interesse consilijs, & reformationibus communis Casalismaioris, & facere propostas in ipsis consilijs, super his, quę viderit conueniri honore Domini nostri, & vtilitati

litati Communis Casalismaioris super his quæ dicti quatuor deputati, vel pars eorum dixerit, vel reddiderit tendere debere ad vtilitatē dicti Communis,& facere propostas scribi in actis Cōmunis per dictatores ipsius Cōmunis, & etiam prouisiones ac terminationes quæ fiēt in ipsis consilijs ordinatè ea die, qua factæ fuerint. Et refonnationes, & prouisiones dicti communis executioni mandare, & mandari facere, & procurare, quòd executioni mandentur per quemlibet ad quem spectat, & dictatores dicti cōis Casalismaioris debeant scribere in vno libro ordinatè omnes propostas, & omnia partita, & omnia dicta Consiliariorū, & omnes prouisiones,& reformationes, ac terminationes, quæ fient in aliquo de dictis consilijs ea die qua factæ fuerint, sub pęna solidorum viginti Imperialium, pro qualibet vice,& de eis facere copiam cuilibet, cuius intersit sub eadē pœna, in quibus pœnis incurrant ipso facto sine aliqua condemnatione, quæ pœna applicetur communi Casalismaioris.

Rubrica quòd partita fieri debeant ad bussolos, & ballottas, quando aliquid tractatur contra vtilitatem Communis.

ITem ne commune Casalismaioris spolietur de suo hauere indebitè, sed potius hauere dicti communis conseruetur. Statutum est, cum in aliquo Consilio propōni, vel consuli contingerit de aliquid expendendo de hauere dicti cōmunis, vel de bonis, vel iuribus dicti communis, alicui personæ, vel de remittendo alicui debitum suum, seu cum tractatur, vel proponitur de aliquo facto, quod sit directè contra vtilitatem dicti communis, omnia partita ordinatè, & solemniter fieri debeant ad bussolos,& ballottas, & duę partes Consiliariorum esse debeant in concordia, præterquam in expensis fiendis pro reparatione & fortificatione, in qui-

bus obſeruetur, vt hactenus factum fuit, videlicet quòd ipſę expenſæ fiant ad voces, & non ad ballottas. Prouiſiones autem, & reformationes aliter factæ, nullius ſint valoris. Et ꝙ omnes perſonæ quas tanget commodum, vel incommodum ſpecialiter de his, quæ fuerint propoſita in aliquo ex dictis conſilijs communis, paruo, vel magno, debeāt abeſſe ab ipſis conſilijs, alioquin quicquid actum fuerit in eorum præſentia, in eorum fauorem, non valeat ipſo iure. Et ꝙ omnia partita fieri debeant ſingulariter per ſe de quocunque negotio, ſeu facto, & ſi de duobus negotijs, ſeu factis, vel pluribus, partitum aliquod ſimul factum fuerit, pro partito non habeatur. Et prouiſio aliter facta ſuper hoc, non valeat ipſo iure.

Rubrica, quòd electi pro ambaſiatoribus non poſſint pro ſe, nec alijs impetrare ab illo Domino, ad quem fuerint electi ire.

ITem ſtatuitur ſi contingat, aliquem vel aliquos eligi pro ambaſiatoribus ad aliquod Dominium ex parte communis prædicti, non poſſit ille electus, vel illi electi, per ſe, nec aliquo alio aliquid impetrare, nec impetratis vti, ſub pœna florenorum decem auri. Et vlterius priuatus ſit ipſo iure omnibus honoribus, & officijs Communis Caſaliſmaioris. Saluo niſi ſuper hoc habuerit licentiam à Domino poteſtate prædicto, & à Commune Caſaliſmaioris. Et quilibet qui eligetur de cætero ad rationes dicti Communis examinandas, vel ad expenſas aliquas examinandum, & approbandum, vel faciendum extima, vel correctiones extimorum, debeat talia ad quæ fuerit electus ſine ſalario exequi, facere, & exercere, niſi tota die ob talia ſteterit occupatus, quo caſu habere poſſit, & percipere ſalariū. Et quod quilibet qui de cætero eligetur ad aliquod negotium dicti Communis faciendum, vel procurandum, debeat illud acceptare,

ceptare, & facere, nisi iusta causa fuerit impeditus, & ex inde non possit petere, nec percipere aliquod salarium.

Rubrica, quòd quæstio non possit moueri contra Commune Casalismaioris, nisi prius petatur eligi & constitui duos Syndicos, ad defendendum iura dicti Communis.

ITem statutum est, quòd aliqua quæstio non possit moueri contra Commune Casalismaioris, nec de re, seu iure quasi tangente Commune Casalismaioris, nisi primo ille qui voluerit mouere quęstionem, petierit eligi duos Syndicos specialiter ad illam quæstionem à Domino Potestate Casalismaioris, & à quatuor deputatis. Qui Dominus Potestas teneatur facere constitui, & ordinare in consilio quatuor Deputatorum ipsos Syndicos, qui sint ad defensionem dicti Communis, & rei, vel iuris dicti Communis. Et aliter, processus qui factus fuerit his prætermissis, ipso iure nullius sit valoris in præiudicium dicti Cõmunis. Et aliquæ sententiæ non possint dari contra dictum Commune, nisi prius citatis Syndicis dicti Communis personaliter, & aliter latæ non valeant.

Rubrica de electione Rationatorum, & ratione eorum reddenda de hauere Communis.

ITem statutum est, quòd omni anno, vel singulis sex mẽsibus eligãtur per deputatos ad vtilia Communis, vnà cum Domino Potestate prædicto, duo probi & intelligentes viri ex hominibus terræ Casalismaioris, experti in rationibus & calculis fiendis, qui esse debeant Rationatores dicti Communis pro illo anno, aut illis mẽsibus pro quo, seu quibus fuerint electi, semper incipiendo in Calendis Ianuarij. Et quòd tales Rationatores sint, & esse debeant ma

iores annis triginta, & eorũ officio completo vnus ex prædictis debeat remanere cum alijs duobus, qui fient, aut eligentur, pro informando eos de rationibus cõis si opus fuerit. Et sic successiuè fiat; qui Rationatores pro eorum sallario habere debeat

penes quos Rationatores stare debeant libri communis, & omnes aliæ scripturæ pertinentes ad dictum commune, in quo, seu quibus, introitus, & exitus dicti communis describantur, seu describi debent. Et ipsi Rationatores singulis duobus mensibus curare teneantur cum effectu, quòd rationes communis fiant per Massarios, seu eos qui expendiderint, seu receperint de bonis, seu pecunia dicti communis. Et ipsi Rationatores non possint ponere aliquam bullettã in libro rationum communis, nèc saldare aliquam rationẽ dicti communis, nisi fuerit de voluntate duarum partium Deputatorum, vel electorum per eos Deputatos, ad videndum, & saldandum dictas rationes. Et hoc sub pœna cuilibet contrafacienti, librarum decem Imperialium, & qualibet vice. Et quòd quilibet qui de cætero exercuerit aliquam massariam, seu ad aliquã expensam fiendam pro dicto communi fuerit electus, vel quoquo modo peruenerit, teneatur talis persona infra decem dies facta expensa, seu massaria, comparere coram dictis Rationatoribus, & de eius expensa seu massaria, ipsis Rationatoribus plenam reddere rationem, & ipsam rationem totaliter, & integrè saldare, ita vt nullum habeat residuum cum commune. Et hoc sub pœna librarum decem Imperialium ei irremissibiliter auferendarum, pro quolibet, & qualibet vice. Et nullus, qui sit Datiarius, aut socius, aut particeps datij, possit, nec esse debeat Rationator communis. Et quilibet qui electus fuerit in Rationatorem communis, ab ipso officio Rationariæ vacare debeat, saltem per biennium. Et si quis fuerit contra hunc ordinem electus in Rationatorem, talis electio nullius

lius sit valoris, & ipso acceptante dictum officium, cadat ad pœnam librarum decem Imperialium. Et nihilominus nõ possit exercere officiũ dictę Rationariæ. Et q̃ quotiescunq; imponi contingerit aliquã brigã, seu taleã, dicti Rationatores infra octo dies, ex quo acta fuerit prouisio de imponendo dictam brigam, seu coerctionem, teneantur fecisse compartitionẽ dictæ brigæ, seu taleæ, super vno libro ligato, & affoliato per numerum cartarum ipsius, quem librum dicti Rationatores teneantur, & debeant dedisse, & consignasse Massario communis, seu illi qui deputatus fuerit vtsupra, per dictos Dominos Deputatos ad exigendum dictam brigam. Et quòd facta consignatione dicti libri teneantur, & debeant facere Massarium, seu illum qui deputatus fuerit ad exigendum, debitorem dicti communis Casalis maioris, super libro rationum dicti cõmunis, de tanta summa quanta ascendet summa summarum dicti libri consignati dicto Massario. Et hoc sub pœna librarum decem Imperialiũ pro quolibet Rationatore, & qualibet vice. Et possit quilibet accusare, & habeat medietatem condemnationis, & teneatur secretus.

Rubrica quòd non subditi iurisdictioni laicali, & subiectioni Communis, sint exclusi ab officijs Aduocationibus, Procurationibus, & Consilijs.

ITem statutum est, quòd quicunque non subditus iurisdictioni laicali, & subiectioni communis Casalis maioris ipso iure sit inhabilis, & exclusus ab omnibus officijs, tam ordinarijs, quàm extraordinarijs, & ab omnibus Procurationibus, Syndicationibus, & actorijs communis, & q̃ non possit esse de aliquo consilio, vel interesse alicui consilio communis. Et quòd scripturæ, & dicta, & facta per eũ non valeãt ipso iure. Et nullus nõ possit haberi, neq; recipi in ci-

Vide in novis consti- tutionibus sub tit.° d. off.° Jurisdic.e [illegible] Judicum [illegible] alienige- loquentibus in materia simili [illegible] [illegible] loquentis [illegible] [illegible] huius statuto [illegible] quidam [illegible] liceat [illegible] [illegible] fol: 2 5 2 - a tergo

uem terræ Caſaliſmaioris, nec poſſit vti beneficio præſentis ſtatuti, niſi per decem annos continuos ſoluerit, & ſuſtinuerit onera cum communi Caſaliſmaioris.

Rubrica quòd nullus Forenſis poßit eſſe Maſſarius, vel exactor hauere Communis.

ITem ſtatutum eſt, quòd nullus forenſis poſſit eſſe Maſſarius, collector, vel exactor alicuius pecuniæ haueris, uel pedagij communis Caſaliſmaioris. Et quicunque contrafecerit huic ſtatuto, cadat ipſo iure in pœnam librarum vigintiquinque Imperialium. Et non ſit neceſſe ſuperinde fieri aliquam condemnationem. Et forenſis, quantum ad hæc, intelligatur quicunque non ſoluerit, ſeu ſuſtinuerit onera, ſeu factiones cum dicto communi vt ſupra, per decem annos continuos.

Rubrica quòd Maſſarius, & quicunque exactor hauere Communis, debeat exegiſſe totum, & quicquid debetur Communi infra certum tempus.

ITem ſtatutum eſt, quòd Maſſarius, vel quicunque alius exactor hauere communis Caſaliſmaioris, debeat exegiſſe à debitoribus, qui ſibi dabuntur in ſcriptis per Rationatores communis, ſeu per aliquos Deputatos, totū, & quicquid debetur communi, & curare, quòd habeat ipſos debitores in ſcriptis. Et hoc infra duos mēſes à die qua habuerit ipſos debitores in ſcriptis. Et hoc ſub pœna ſoldorum quinq; Imperialium, pro quolibet debitore, & qualibet vice. Et nihilo minus talis exactor remaneat, & ſit debitor dicti communis, de illa quantitate pecuniæ, non exacta ab ipſis debitoribus. Saluo quòd hoc non habeat locum in debitoribus nō idoneis de facultatibus, ſeu facultate conueniendi, & ſi fecerint iuſtam excuſationem.

Rubrica quòd quicunq; habuerit de hauere Communis Caſaliſmaioris, teneatur propalare, & ſoluere Maſſario, vtſupra.

ITem ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd quælibet perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, quæ habuerit, & habebit penes ſe de hauere communis Caſaliſmaioris, teneatur, & debeat infra decem dies, computãdos à die qua commune Caſaliſmaioris poterat exegiſſe ſi ſciuiſſet, comparere coram dictis Rationatoribus communis, & ipſis Rationatoribus manifeſtare quid, & quantum habet penes ſe de dicto hauere communis, & ipſam quantitatem ſoluere Maſſario prædicto. Et hoc ſub pœna dupli dictæ quantitatis, quæ reperta fuerit eſſe penes dictam perſonam, & quæ exigi debitè poterat per dictum commune à dicta perſona, ſi hoc ſcitum fuiſſet à dicto communi.



RVBRICA, QVOD SI IN SCRIPTVRA criminali aliquid petatur ſecundum formam iuris fieri, prædicta intelligantur dici, vel peti ſecundum formam ſtatutorum.





I in accuſa, vel alia ſcriptura petatur, ſiuè dicatur aliquem debere cōdemnari, vel aliquid fieri ſecũdum formam iuris, vel per aliqua æquipollentia verba, prędicta verba debeant referri, & intelligi, & declarari, & declarentur, quòd intelligatur peti, ſeu dici ſecundum formam ſtatutorum communis Caſaliſmaioris, niſi expreſsè declaratum ſit, de quo iure intelligatur.

Rubrica in quibus caſibus poſsit per officium procedi.

ITem ſtatutum & ordinatum eſt, quòd in omnibus maleficijs & delictis, ex quibus pœna ſanguinis, vel perſonæ venit imponenda, & in omnibus alijs commiſſis, & perpetratis tempore regiminis Domini Poteſtatis, vel Rectoris Caſaliſmaioris, & ante per ſex menſes, ex quibus aliquà pœna venit applicanda Camerę Illuſtriſſimi Domini Domini noſtri, licitum ſit, & liceat Domino Poteſtati prædicto inquirere per officium, & procedere.

Rubrica

Rubrica, de pœna non probantis, vel non prosequentis accusam, vel querelam.

SI quis aliquem accusauerit coram dicto Domino Potestate Casalis maioris de aliquo crimine, & ipsam accusam prosequutus non fuerit vsque ad diffinitiuam sententiam. Et si lata fuerit sententia absolutoria, talis accusans puniatur arbitrio prædicti Domini Potestatis, si sibi videretur ipsum accusantem malitiosè, & fraudulenter accusasse.

vide legem qui crimen publicum Cod. qui accusare non possunt

Rubrica, quòd si passus iniuriam, vel certæ aliæ personæ, ante absolutionem, vel condemnationem deferant accusam, procedi debeat, vel super accusa, vel super inquisitione.

SI passus iniuriam, vel aliquis ex ascendentibus, vel descendentibus, vel ex latere venientibus, tam ex masculino, quam fœminino sexu, vsque ad quartum gradũ, vel vir, vel vxor, vel socer, vel gener post iniuriam comparuerit coram præfato Domino Potestate deferens accusã, vel denunciationem similiter ante absolutionem, vel condemnationem per officialem factam, audiatur. Et per præfatum Dominum Potestatem procedatur, vel super accusa, vel super inquisitione, prout dicto Domino Potestati placuerit, vel melius videbitur, & facilius sibi fuerit veritatem contra delinquentem reperire, & ipsum de commissis punire. Et facta condemnatione super accusa, vlterius nõ procedatur super inquisitione, & econtrario: Saluo quòd si in processu inquisitionis confessus fuit, tunc super accusa procedi non possit, nec admittatur.



Rubrica

Rubrica, quòd aliquis non possit, nec debeat poni ad torturam, non præcedentibus legitimis indiciis.

ITem statutum est, quòd Rectores terræ Casalismaioris, non possint, nec debeant ponere ad torturam aliquam personam terræ prædictæ, nec eius districtus, occasione alicuius maleficij, nisi legitimis præcedentibus indicijs, quæ quidem inditia, ante aliquam torturam scribantur in actis, ad bancum iuris Casalismaioris, per Notarium Domini Potestatis prædictæ terræ Casalismaioris. Et de dictis indicijs fieri debeat copia inculpato, ante torturam. Et sibi dari terminus quinque dierum ad suas excusationes, defensiones, & allegationes fiendas antequàm torqueatur. Et quicquid contrafactum fuerit contra præsens Statutum nullius sit valoris, & momenti. Et processus, qui ex inde sequeretur, aut fieret, in totum, nec in aliqua parte teneat, nec valeat, & nullius sit efficaciæ. Saluo etiam, quod aliquis non possit poni ad torturam, nisi de maleficiò, cuius pœna excedat quantitatem librarum vigintiquinque Imperialium, vel pro quo pœna sanguinis ingeratur, vel còrporalis, si tormentatus confessus fuerit maleficium, de quo fuerit inculpatus. Et Dominus Potestas prædictus faciat scribi in ipsa confessione qualiter tortus fuerit, & aliter confessio non valeat.

Rubrica, quòd in criminali accusa, filij, & filiæfamilias maiores annis quatuordecim, possint se defendere.

ITem statutum est, quòd filij, & filiæfamilias, & alij maiores quatuordecim annis, possint in criminalibus causis, ab accusatione, denuncijs, & inquisitione sese defendere, & excusare, sine consensu patrum, vel curatorum suorum. Et quod in causa criminali non habeat locum beneficium restitutionis in integrum.

Rubrica

Rubrica de accuſationibus, querelis, inquiſitionibus, & alijs actis ponendis, & ſcribendis in vno libro ligato.

ITem ſtatutum eſt, quòd Notarius Domini Poteſtatis terræ Caſaliſmaioris teneatur, & debeat, omnes accuſas, querelas, denũciationes, ſeu notificatiões, & inquiſitiones, infra decẽ dies poſtq̃ fuerint porrectæ, ſeu formatæ, ponere, ſeu ſcribere ſuper vno libro ligato, & afoliato per numerũ cartarũ. Et omnia acta, & ſcripturas, & dicta teſtiũ fiẽda ad bancum iuris, ſub pœna librarum decem Imperialium pro qualibet accuſa, inquiſitione, denuncia, & ſeu notificatione, & dicto cuiuslibet teſtis non poſitis, & non ſcriptis vtſupra.

Rubrica de primo banno, citationibus, & terminis in criminalibus.

ITem ſtatutum eſt, quòd in accuſatione, querela, denũcia, vel inquiſitione factis ſuper maleficijs, vel aliquo maleficio, & ipſis ſcriptis in actis, debeant admoneri inſcriptis denunciati, accuſati, vel inquiſiti, & ſi non fuerint in fortia communis Caſaliſmaioris. Et ponatur in ipſa citatione nomen, & pronomen citati, & maleficium, ſeu delictum, & qualitas delicti, & perſona cum eius nomine, & cognomine, in cuius perſonam commiſſum eſt delictum, & locus, & tempus commiſſi delicti, & ex parte cuius officialis fuerit citatio, quæ monitio portari debeat in ſcriptis per correriũ, & dimitti citato pſonaliter, vel ad domũ habitationis in qua habitat cum eius familia, ſeu habitare conſueuerit, ſeu in loco, vbi fieri poteſt citatio de iure in præſentia duorum teſtium. Quæ omnia correrius in relatione ſcribi faciat, & diem, in qua requiſiuerit, ſub pœna ſoldorum quadraginta. In qua citatione terminus competens per correrium aſſignetur citato comparendi. Et ſi non habuerit certã domum, vel habitationem, vel habere conſueuerit in terra,

vel

vel districtu Casalismaioris, quòd tunc sufficiat admonitio legi, & terminus, cum banno duodecim denariorum, si in dicto termino non comparuerit, dari, facta crida alta voce per correrium super platea communis Casalismaioris. Et si esset talis persona, quæ haberet domum, vel habitationem in districtu Casalismaioris, & commodè illic iri nō posset, simili modo admoneatur, & terminus assignetur cum banno prædicto, si in dicto termino nō comparuerit inscriptis in platea dictæ terræ Casalismaioris. ¶ Eò tamen saluo, & excepto quod nō debeat, nec possit fieri, vel formari aliqua inquisitio, nisi prius legitimis præcedentibus indicijs, vel semiplena probatione in actis scripta, & aliter formata non valeat. Et quòd super qualibet accusatione, & denuntiatione, & inquisitione debeat scribi bannum, & terminus prædictus simplex duodecim denariorum, quòd denuntietur per correrium tempore dationis admonitionis, qui terminus sit in arbitrio iusdicentis, dummodo non sit minor trium dierum. Et si esset persona, quæ ciuis non esset, seu districtualis terræ prædictæ, vel quæ non haberet domiciliũ in terra prædicta, nec eius districtu, quòd admoneatur inscriptis & terminus assignetur cum banno prædicto, & copia admonitionis, & termini, vel banni dimittatur inscriptis. Et habeat terminum ad arbitrium iusdicentis, dummodo non sit minor trium dierum. Et quòd admonitionibus, & terminis, & bannis datis modo prædicto, scribatur in actis relatio ipsius admonitionis, & terminus, & bannum penes accusationem, denuntiationem, vel inquisitionem, & termini prædicti currant à die relationis factæ, & scriptæ in actis. Et quòd dies relationis non computetur in termino. Et in ipsa admonitione, & scriptura banni, & termini scribantur nomen, & pronomen correrij, qui prædicta fecerit, cui credatur de prædictis. Si verò aliquis inculpatus de prædictis maleficijs, vel alijs fuerit præsens, vel in fortia Domini

mini Potestatis prædicti, vel alterius Iudicis, tunc teneatur, & possit Dominus Potestas vt supra, cogere dictum inculpatum ad respondendum dictæ accusationi, denunciationi, vel inquisitioni contra eum formatis, affirmando, vel negãdo, & facta responsione, eidem inculpato dare terminũ ad faciendum suam defensionem, ad arbitrium Iusdicentis, dum tamen non det minorem dilationem tribus diebus.

Rubrica de terminis duplicibus, & bannis assignandis in criminalibus.

ITem statutum est, quòd curso primo termino, & banno simplici super accusatione, vel denunciatione, vel inquisitione, procedatur, & procedi debeat ad faciendum dari bannum duplex de ea quantitate pecuniæ, quæ videbitur Domino Potestati, seu assignari terminum secundũ, & bannum duplex de ea quantitate pecuniæ, quæ videbitur Domino Potestati: Saluo, quòd dictum bannum non possit excedere quantitatem pœnæ, in qua inquisitus, accusatus, vel inculpatus veniet condemnandus, si maleficium esset probatum, hoc modo videlicet, quòd debeat culpatus citari de maleficio, pro quo fuit contumax in primo termino, & incurrit bannum simplex, per correrium, personaliter, vel ad domum habitationis suæ, vel in loco, vbi per formam præsentium statutorum citari debet, & cridari. & citari debeat publicè in platea per correrium, exprimendo in ipsa crida nomen inculpati, & maleficium, & nomen accusatoris, seu offensi. Et habeat spatium ad arbitrium Iusdicentis ad comparendum, & se excusandum de prædictis, quòd spatium currat à tempore relationis scriptę, quibus elapsis, banna habeantur pro cursis. Et quòd dies relationis nõ computetur in termino, & scribatur dicta monitio, seu relatio, & banna in actis, seu libris maleficiorum in quibus comprehendan-

tur nomen personæ inculpatæ, nomen maleficij, & qualitas processus, & nomen accusatoris, & correrij, qui denuntiauerit, & cridauerit dictum secundum terminum, & bannum. Et hoc locum habeat in habentibus domos, vel habitationes in districtu Casalismaioris, vel qui consuetus est habere. Et si non habuerit, vel habere non consueuerit domũ, vel habitationem in terra Casalismaioris, vel eius districtu, vel si habuerit, & commodè iri non poterit, vel posset, quod tunc possit dictum terminum secũdum, & banna duplicia dari, cridari, & scribi, dum tamen terminus prædictus, & bannum prædictum cridetur, & dimittatur in scriptis publicè super porta Lodiæ terræ Casalismaioris per correriũ communis, quæ omnia scribantur in scripturis monitionis, & banni, & aliter non valeant.

Rubrica, de copia danda reo petenti, de inquisitione, & accusatione, & de dicto suo, & nominibus testium, & termino dando ad probandum.

STatutum est etiam, quòd accusatione, seu denuntiatione, & inquisitione in actis scriptis, & per reum facta responsione, Dominus Potestas, seu alius Iusdicens teneatur, & debeat legi facere denuntiam personę respondenti, & assignare ipsi accusato, seu inquisito, vel denũtiato incontinenti post respõsionem, terminum trium dierum, & plus, & minus arbitrio Rectoris. Et quod ex quo depositiones testium fuerint publicatę, Iusdicens teneatur, & debeat infra tertiam diem facere copiam prædictis personis, vel alijs pro eis de prædictis depositionibus testium. Et habeat spatium prædicta persona octo dierum à tempore dictę publicationis, seu copiæ processus habitę, ad remouendum, & reprobandum dictos testes, & eorum dicta.

Rubrica

Rubrica, de capitulis porrigendis per accuſatores in criminali.

ITem Statutum eſt, quòd quilibet accuſator teneatur dare capitula intētionum, ſuper accuſatione, accuſato, ad hoc vt poſſit facere ſuper ipſis interrogationes ſuas, quæ examinentur, & corrigantur prout placuerit Iuſdicenti. Et citari faciat accuſatum ad videndum iurare teſtes ipſius accuſatoris. Et eodem modo reus accuſatori. Et aliter proceſſus non valeat.

Rubrica, de defenſione cuiuslibet in criminali audienda.

ITem Statutum eſt, quòd omnes Iuſdicentes terræ Caſalis maioris, teneantur, & debeant audire, & admittere defenſionem cuiuslibet, in quolibet proceſſu. Et ſi contrafactum fuerit, proceſſus ſit ipſo iure nullus, & nullius valoris.

Rubrica, quòd dies termini non computetur in termino, &c.

ITem Statutum eſt, quòd in qualibet dilatione, ſeu termino, dies termini, ſeu dilationis, nō computetur in termino, ſeu dilatione. Et ſi vltima dies alicuius termini, ſeu dilationis inciderit in diem feriatam, ſequens die non feriata pro illa reputetur. Et prædicta omnia locum habeant, tam in ciuili, quàm in criminali.

Rubrica, quòd requiſitus pro maleficio, vnde pœna ſanguinis ingeratur, venire debeat perſonaliter.

SI quis calumniatus, vel accuſatus fuerit, vel cōtra eum per officium occaſione alicuius maleficij, vnde ſanguinis pœna ingeratur, procedatur, & ea occaſione fuerit requiſitus, teneatur venire perſonaliter coram illo Iuſdicente, cuius

te, cuius mandato fuerit requisitus, & non per procuratorẽ, per quem procuratorẽ nulla exceptio, per quam processus impediatur, valeat opponi, sed saluis exceptionibus veniat, & postquàm venerit, possit vti omnibus suis iuribus, & exceptionibus.

Rubrica, quòd nullus detineatur pro maleficio, ex quo pœna sanguinis non ingeratur, si paratus sit idoneæ satisdare.

NVllus occasione maleficij, ex quo non ingeratur pœna sanguinis, detineatur, si paratus sit cum effectu idoneæ satisdare, & intelligatur idoneæ satisdare, & idoneam satisdationem præstare, si fiat de tanta quantitate, seu extimatione rei, de qua, seu quanta posset condemnari, si probatum esset maleficium.

Rubrica, quòd capitula admittantur ad probandum.

SI per aliquem dari voluerint capitula intentionum ad probandum, siue ad defensam, seu ad offensam, teneatur Iusdicens ea admittere, & admissa intelligantur ipso iure. Saluo iure impertinentium, et non admittendorum tempore disputationis in fine.

Rubrica, quòd testes debeant interrogari de veritate negocij, de loco, & tempore, quibus præsentibus, & alijs circunstantijs.

TEneatur quilibet Iusdicens vbicunq; cõtingerit eum recipere testem, vel testes, diligenter interrogare de veritate negocij, loco, & tempore, & quibus præsentibus, & de alijs circunstantijs negotij.

Rubrica,

Rubrica, quòd maiores annis quatuordecim possint in criminalibus testificari.

ITem Statutum est, quòd masculi, & fœminæ maiores annis quatuordecim possint testificari super quolibet maleficio, & processu maleficij.

Rubrica, quòd testes torqueri non possint, nec debeant.

ITem Statutum est, quòd aliqui testes torqueri non possint, nec incarcerari, nec aliter detineri, nisi in crimine læsæ maiestatis, homicidij, raptus mulierum, & falsę monetæ, & proditionis, incendij, & furti, ex quo pœna sanguinis veniat imponenda.

Rubrica, de testimonijs mulierum in Ecclesia recipiendis.

ITem Statutum est, quòd si contingerit aliquas mulieres debere testificari in aliquibus causis criminalibus, vel ciuilibus, quòd earum sacramenta, dicta, & testimonia recipiantur in ecclesia Sancti Francisci, vel ad domum mulierum testificari debentium, in arbitrio Iusdicentis, inspecta conditione personæ, & facti qualitate.

Rubrica, quòd præsentato principali, fideiussor sit absolutus.

ITem Statutum est, quòd si aliquis extiterit fideiussor pro aliqua persona in causa criminali, ciuili, vel alia quacunque causa coram Domino Potestate, vel Rectore terræ Casalismaioris, & præsentauerit illam personam, pro qua fideiusserit, coram ipso Domino Potestate, coram quo fideiussit, ipso iure liberatus sit ab ipsa fideiussione. Et hoc habeat

locum in casibus, in quibus præsentatus prędictus possit detineri. Et si quis fideiusserit de aliquo præsentando, quòd teneatur eum præsentare infra terminum competentē, à Iusdicente, coram quo fideiussio facta fuerit, statuendum. Et si non præsentauerit, condemnetur in illa quantitate, in qua condemnandus esset principalis. Et huic Statuto nullo modo renunciari possit. Et si renunciatio facta fuerit, non valeat. Et prædicta locum non habeant in datijs.

Rubrica, de condemnationibus fiendis in criminalibus.

ITem Statutum est, quòd inculpati, elapsis dilationibus, & terminis ad excusationem, & reprobationem testiũ, possint allegare, seu allegari facere, seu etiā allegationes in scriptis coram Domino Potestate, seu quolibet altero Iusdicente, coram quo, seu quibus essent inculpati, producere infra terminum competentem eis assignandum per præfatũ Dominum Potestatem vtsupra, quo termino elapso, præfatus Dominus Potestas possit, & debeat condemnare, vel absoluere dictos inculpatos, prout de iure statutum fuerit, condemnando, vel absoluendo, & iure statutorum deficiente, secundum quòd præfato Domino Potestati, & eius consciētiæ videbitur, dum tamen non faciat contra statuta Casalis maioris. Quæ condemnationes, & absolutiones scribi debeant sine aliquo deffectu, secundum, quòd prolatę fuerint per præfatum Dominum Potestatem, ad bancum iuris prędicti communis, & legi debeant publicè sub lodia dicti cōmunis in præsentia quatuor Deputatorum, tunc præsidentium ad vtilia communis prædicti, & trium aliorum ciuiũ, vel ex ciuibus Casalismaioris ad minus. Et processus, & condemnationes, & facti, & factæ, aliter non valeant. Et si quis fuerit condemnatus, non possit, nec debeat condemnari ad mino-

minorem terminum decem dierum, si fuerit cōdemnatus in pecunia. Et quòd contra cōtumaces, curso primo termino, & secundo, & banno simplici, & duplici, fiat cōdemnatio computatis bannis in ipsa cōdemnatione, nec sit necessaria aliqua alia probatio. Saluo, quod si pdictus contumax perueniret in fortiam pręfati Domini Potestatis vtsupra, teneatur dictus Dominus Potestas sibi dare terminum quinque dierum ad suam faciendam defensionem. Et in condemnationibus, quæ fient super furtis, & damnis datis, fiat cōdemnatio rei furatæ, & derobatæ, & damni dati, vel facti, passo damnum, furtum, vel robariam, ad rationem extimationis probatæ. Et de damnis datis possit præfatus Dominus Potestas cognoscere per accusationem, denunciationem, & inquisitionem, & etiā si ciuiliter agatur. Et quòd omnes quæstiones criminales quomodocunque procedatur, per accusationem, vel alio modo, terminentur in absoluendo, vel condemnādo, infra quadraginta dies vtiles à tempore litis contestatæ, seu termini secundi, & banni duplicis computādos. Et hoc saluo, quòd in omnibus, & singulis casibus, in quibus secundum formam statutorum pœnæ pecuniariæ sūt limitatę, præfatus Dominus Potestas vtsupra, teneatur, & debeat, in condemnationibus, quas faciet de dictis maleficijs, culpabiles condemnare secūdum pœnas pecuniarias in ipsis statutis comprehensas. Et quòd in ipsis condemnationibus, seu sententijs condemnationum, quantitatem in ipsis statutis comprehensam, & insertam, nō possit excedere, nec etiam loco ipsius pœnæ pecuniarię aliquam pœnam corporalem ordinariam, seu extraordinariā imponere, seu adijcere, nec in ipsis condemnationibus possit inserere, quod si condemnatus ad ipsam condemnationem pecuniariam, eam non soluerit, quòd condemnatus patiatur aliquam pœnam corporalem. Et si contra prædicta aliquid esset aditum, vel factum, illud ipso iure nullius sit momenti, &

ti,& ipso iure ipsa condemnatio in ea parte sit irrita,& executioni non posit,nec debeat mandari.

Rubrica, quòd in processibus maleficiorum non sit necessaria citatio specialis.

ITem cum multa dubia oriri possent in condemnationibus fiendis pro officio maleficiorum,quas aliqui volunt dicere nullas,pro eo,quòd accusati,denunciati,vel inquisiti citati non essent ad sententiam audiendam. Idcirco ad tollendum talia dubia,statutum est,quòd in talibus condénationibus non sit necessaria aliqua citatio specialis, vel perhemptoria ad audiẽdum sententiam,sed in his condemnationibus criminalibus,quãtum est pro ista citatione, seruetur modus, & ordo limitatus, & statutus de citatione generali fiẽda pro dãnis datis,posito sub ipsa Rubrica, in capitulo,De prouisionibus,& statutis super dãnis datis.Et de processibus fiendis pro officio maleficiorum ius reddi possit, quolibet die feriato,& non feriato.

Rubrica de citatione Forensium, & absentium.

ITem Statutum est, quòd quælibet citatio fienda de quolibet forense,vel absente,vel habitante extra iurisdictioné Casalismaioris,possit fieri publicè,& alta voce, super platea communis Casalismaioris sita in burgo castri,ante portam Lodiæ per vnum ex correrijs communis. Et ita facta sufficiat. Et ita locum habeat tam in criminalibus, quàm in ciuilibus.

Rubrica de pœnis duplicandis.

ITem Statutum est, quòd duplicentur omnes pœnæ omnium maleficiorum,vel quasi,commissorum per forenses,

ſes, ciues, & diſtrictuales terrę Caſaliſmaioris. Et omniũ maleficiorum, vel quaſi, commiſſorum de nocte poſt bottum campanæ, qui datur de ſero poſt ſecundam horam, vſq; ad campanam, per quam de mane pulſatur Aue Maria. Et omnium maleficiorum, vel quaſi, commiſſorum in lodia communis, in palatio Domini Poteſtatis, & in eccleſijs terrę Caſaliſmaioris, quando diuinus cultus in eis celebratur. Et omnium maleficiorum, vel quaſi, commiſſorum in platea communis, & in loco, vbi die Martis fit forum, ſeu mercatum. Et etiam coram, ſeu ante raſtra pontium, & ſuper ipſis pontibus prædictæ terræ Caſaliſmaioris. Vel omnium maleficiorum, vel quaſi, commiſſorum ad domum, vel in domo habitationis eius, contra quem fit maleficium, duplicentur. ¶ Saluo, quod duplicatio pœnæ non habeat locum, ſi maleficium fit in domo habitationis alicuius habentis perſonas in eadem domo habitantes. Duplicentur etiam pœnæ contra proferentes iniurias, contumelias, vel conuicia contra aliquos ex officialibus Illuſtriſſimi Domini Domini noſtri, aduocatos, procuratores, vel notarios, cauſa & occaſione, vel prætextu ſuæ procurationis, vel officij, vel aduocationis.

Rubrica, quòd nullus poßit criminaliter condemnari, niſi data competenti defenſione.

Poteſtas antedictus, nec aliquis alius exercens iuriſdictionem, non poſſit, nec debeat aliquem cõdemnare criminaliter, aliqua occaſione, niſi primo data defenſione competenti, quæ non ſit minor trium dierum, perſonaliter, vel eo perſonaliter citato, vel ad domum, ſecundum qualitatem, & magnitudinem negocij, illi, quem condẽnare debuerit, quæ defenſio reperiatur in actis. Et ſi qua condemnatio criminalis facta fuerit, non data defenſione

compe-

competenti vtſupra, non valeat, nec teneat, nec exigi poſſit, ſed ipſo iure nulla ſit.

Rubrica, quòd condemnationes criminales fiant purè, & aliter factæ non exigantur, niſi lege municipali cautum ſit aliter.

ITem Statutum eſt, quòd omnes condemnationes criminales purè fiant, & non ſub conditione, & aliter factæ non valeant, nec exigi poſſint, niſi aliter à iure municipali cautum reperiatur, niſi aliter arbitrium foret cōceſſum ſuper hoc. Et in qualibet condemnatione criminali, quæ de cætero fiet per D. Poteſtatē, aut alterum Iuſdicentem, ſcribi debeat nomē, & pronomen condemnati, & patris eius, & ſi deiuſſoris. Saluo, quòd in Foreſterijs, accuſationes, inquiſitiones, & condemnationes fieri poſsint contra ipſos, licet nomen, & cognomen Rei non ſit in eiſdem appoſitum.

Rubrica, quòd nullus corporaliter puniatur, niſi lege municipali caueatur.

NVllus corporaliter puniatur, niſi lege municipali caueatur, ſed aliàs puniatur pecunialiter arbitrio præfati Domini Poteſtatis, inſpecta conditione perſonæ, & qualitate delicti. Et intelligatur lege municipali cautum de puniēdo aliquē pœna corporali, etiam vbi lege municipali cautum ſit de puniendo arbitrio Domini Poteſtatis in hauere, vel perſona: vel etiā vbi dictum ſit per hæc verba, [in hauere, & in perſona.]

Rubrica, quòd bannitus, condemnatus, vel confeſſus, ſoluens condemnationem, vel id quod ſoluere deberet, cancelletur, & eximatur.

SI quis fuerit bannitus, vel condemnatus ex aliquo delicto, ex quo non ingeratur pœna ſanguinis, ipſo ſoluēte dictam

re dictam condemnationem, eximatur, & cancelletur de dictis banno, & condemnatione. Et si fuerit bannitus tantum, & non condemnatus, vel confessus tantum, ipso bānito, vel confesso soluente id, quod soluere deberet, si condēnatus fuisset secundum formam Statutorum, cācelletur de ipso banno, & condemnatione, & omni processū, & vlterius non procedatur ad aliquam condemnationē, quæ cancellationes fiant, & fieri debeant per Notarios Domini Potestatis, non tamen sine licentia, & mandato præfati Domini Potestatis, vel alterius Iusdicentis; Et aliter cancellatæ non valeant.

Rubrica, quòd declinantes iurisdictionem Domini Potestatis Casalismaioris, per certis maleficijs non audiantur, & possint impunè offendi.

ITem Statutū est, quòd si aliquis declinauerit iurisdictionem Domini Potestatis, seu etiam communis Casalismaioris, volens se defendere pro maleficio feritę sangui nolentæ, vel pro crimine læsæ Maiestatis, homicidij, priuati carceris, incendij, robariæ, furti, raptus mulierum, plagij, falsi, falsæ monetæ, incisionis vinearum, proditionis, assassi nationis, vel cuiuslibet alterius maleficij ingerētis pœnam sanguinis, possit impunè offendi in hauere, & persona, & non audiatur in aliqua causa ciuili, vel criminali, in agendo, vel defendendo.

Rubrica, de pœna blasphemantis Deum, vel alios Sanctos, vel Sanctas.

NVlla persona cuiuscunque status, aut conditionis existat, blasphemet, aut maledicat Deum, vel Beatam Virginem Mariam, sub pœna amputationis linguæ.

linguæ. Hoc ſaluo, quòd ſi infra decem dies à tempore, quo peruenerit in fortiam, aut manus Domini Poteſtatis, aut alterius Iuſdicentis Caſalis maioris, poſtquàm fuerit condẽnatus, ſoluerit libras decem Imperiales, perueniendas ad Cameram Illuſtriſſimi Domini Domini noſtri, ſit liberatus, & abſolutus ab amputatione linguæ. Et quilibet poſſit eum accuſare infra decẽ dies à die quo ſic blaſphemauerit, & non vltra, nec etiam cõtra ipſum poſſit procedi vltra dictos decem dies per inquiſitionem, aut per officium. ¶ Item nulla perſona blaſphemet, aut maledicat aliquem Sanctum alium, vel Sanctam, ſub pœna librarum quinque pro quolibet, & qualibet vice, & poſſit per quẽlibet accuſari, & procedi per officium, vel inquiſitionem Domini Poteſtatis prędicti vſque ad decem dies, & nõ vltra; quam pœnam ſi quis ſoluere non poterit, ponatur in berlina, aut ceppo, vbi ſtare debeat per tres dies. ¶ Si quis nominauerit aliquem blaſphemando per verbum turpe, quod appellatur vermis canis, condemnetur in ſoldis quinque Imperialium.

Rubrica, de pœna laborantis diebus Dominicis.

ITem Statutum eſt, quòd aliqua perſona non poſſit, nec debeat laborare, nec laborari facere, nec carezare, nec carezari facere diebus Dominicis, nec alijs feſtiuitatibus principalibus, pœna cuilibet contrafacienti ſoldorum quinque Imperialium, videlicet in feſtiuitatibus Apoſtolorum, nec Beatæ Mariæ Virginis, nec alijs feſtiuitatibus principalibus pœna ſupraſcripta. Excepto in caſu mercandandiarum, & pro tempore meſsium, & vindemiarum, & ſegationum feni.

Rubrica,

Rubrica, de pœna dicentis verba iniurioſa.

ITem Statutum eſt, quòd ſi quis dixerit verba iniurioſa extra iudicium, condemnetur in ſolidis viginti Imperialium. Et ſi in iudicio, vel coram Domino Poteſtate, condẽnetur in libris tribus Imperialib9. Et ſi quis dixerit alicui, quod ſit falſus, vel proditor, vel falſitatem, vel proditionem aliquam commiſerit, vel tu es falſus, vel proditor, vel falſitatem, vel proditionem commiſiſti, vel alia iniurioſa verba, aut æquipollentia, puniatur in libris decem Imperialibus, quarum pœnarum medietas ſit Cameræ Ducalis, & alia medietas iniuriati. Saluo, quòd ſi partes ſuper hoc ſe conuenerint, & remiſerint verba iniurioſa, quomodocunque ante condemnationem, nullatenus procedatur.

Rubrica, de pœna mordentis cum dentibus.

SI quis morderit aliquem cum dentibus, ita quòd ex morſura ſanguis exeat, condemnetur in libris quinq; Imperialibus. Si verò ſanguis non exierit, in ſolidis quadraginta.

Rubrica, de pœna ſpingentis, vel proijcientis aliquem in terram.

SI quis aliquem in terra proiecerit, ſeu ſpinxerit, & cadere fecerit, ſi exiuerit ſanguis ex illa proiectione, condemnetur in libris quinque Imperialium. Si verò ſanguis non exiuerit, in ſolidis quadraginta Imperialium.

Rubrica, de pœna lacerantis iniurioſè pannos.

SI qua perſona fraudoloſè, aut iniurioſè lacerauerit pannum, vel pannos alicui perſonæ, condemnetur in li-

bris tribus Imperialibus, & ad restitutionem damni in duplum iniuriato. Et si aliquis cœperit aliquam personam per pannos, sine laceratione, fraudolosè, vel iniuriosè, condemnetur in solidis viginti Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice, & fraus, & iniuria intelligatur arbitrio Domini Potestatis, inspiciendo semper qualitatem, & conditionem personarum. ¶ Si verò aliquis acceperit caputium, vel quodlibet aliud capitis opertorium de capite alicuius personæ iniuriosè, & ea persona inuita, condemnetur in solidis viginti Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de pœna facientis insultum sine armis.

SI quis fecerit insultum sine armis contra aliquem, & non percusserit, condemnetur in solidis quadraginta Imperialium. Et si fecerit insultum sine armis, & cum percussione, & sanguis non exiuerit, si fuerit in vultu, seu facie, (& facies intelligatur à gula supra) condénetur in libris decem Imperialium. Si non in vultu, nec facie, condemnetur in solidis centum Imperialium. ¶ Si verò insultum fecerit sine armis, & cum percussione, & sanguis exiuerit, si quidem in vultu, seu facie, in libris quindecim Imperialiũ, & si in aliqua parte personæ, condemnetur in libris decem Imperialium. Et similibus pœnis puniatur, si prædicta fecerit sine insultu, & ad expensas medicaminis, si ex talibus percussionibus medicamentum consequutum fuerit. ¶ Si verò insultus factus fuerit cum armis, & non percusserit, condemnetur in libris quinque Imperialium, si verò percusserit, & sanguis non exiuerit, si quidem super vultu, seu facie, condemnetur in libris quindecim Imperialium. Et si in aliqua parte personæ sine sanguinis effusione, in libris decem Imperialium. Et si fuerit cum sanguinis effusione, si quidem in vultu, seu facie, in libris vigint iquinque Imperia

lium

lium condemnetur. Et si in aliqua parte personæ, seu corporis, cum sanguinis effusione, in libris viginti Imperialium. Et si ex percussione facta in facie, seu vultu, cicatrix perpetuò sit mansura, condemnetur in libris quinquaginta Imperialium. Et similibus pœnis puniatur si prædicta fecerit sine insultu, & ad medicamenta vtsupra.

Rubrica, de pœna amputantis, vel debilitantis membrum.

ITem Statutum est, quòd si quis amputauerit alicui nasũ, seu membrum, vel oculum effodierit, cōdemnetur in libris ducentis Imperialium. Saluo, quòd pro auricula detruncata, cōdemnetur in libris quinquaginta Imperialium; Nec digitus intelligatur membrum quo ad prædicta, sed pro amputatione cuiuslibet digiti condemnetur in libris quinquaginta Imperialium pro quolibet digito amputato. Si verò aliquis debilitauerit alicui membrum, condemnetur in libris centum Imperialium.

Rubrica, de pœna proicientis lapidem.

SI qua persona lapidem proiecerit fraudolenter, vel iniuriosè, contra aliquem, & non percusserit, condemnetur in soldis viginti Imperialium. Et si percusserit sine sanguinis effusione, condemnetur in libris quinque Imperialium. Si verò percusserit in facie, seu vultu, pœnę duplicentur. Si verò non fraudolenter proiecerit, & percusserit cum sanguinis effusione, condemnetur pœnis prædictis.

Rubrica, de pœna homicidæ.

ITem Statutum est, quòd si quis homicidium cōmiserit, & ad rationem veniat, & conuinctus, seu confessus fuerit,

D 2

rit, capite puniatur ita quòd moriatur de homicidio. Si verò ad rationem non venerit, in banno ponatur de homicidio, in quo si fuerit præteritus, & postmodum in fortiā Domini Potestatis, seu communis Casalis maioris peruenerit, capite puniatur ita quòd moriatur. A prædictis excipitur minor quatuordecim annorum, qui pro prædictis puniatur, vt infra statutum est, qualiter puniri debeat minor quatuordecim annis. Et eadem pœna puniantur fieri facientes homicidium, & quilibet præstans auxilium, & adiutorium ad homicidium committendum, si commissum fuerit, quæ pœna intelligatur secundum maiores quatuordecim annis, & minores quatuordecim annis.

Rubrica, de pœna assassini, & pœna parricidæ.

Si quis verò assassinauerit aliquem, vel assassinari fecerit, trahatur ad caudam equi, vel asini ad furcas, & ibi suspendatur ad furcas per gulam, ita quòd moriatur. Assassinus intelligatur, & sit, qui precio, vel promissione acceptа, aliquem interfecerit, vel percusserit, et ex percussione sanguinis exierit. Similiter Assassinus sit, & esse intelligatur, qui precio dato, vel promisso, fecerit aliquem interfici, vel percuti cum sanguinis effusione. ¶ Parricida verò capite puniatur, ita quòd moriatur.

Rubrica, de pœna tenentis priuatum carcerem, vel tenentis aliquem inclusum.

Tenens, seu exercens priuatum carcerem puniatur, ita quòd moriatur. Et intelligatur tenere, seu exercere per se, vel per alium priuatum carcerem, qui non ad executionem præcepti alicuius Iusdicentis, seu aliter, non iuridicè tenuerit, seu teneri fecerit aliquem contra eius voluntatem

luntatem inclusum, seu ligatum, seu captum in aliqua parte per dies duos continuos, & non aliter. ¶ Si verò aliquis tenuerit, seu teneri fecerit aliquem inclusum, seu ligatum, seu captum minori tempore dierum duorum cōtinuorum, & fecerit eum redimere in aliqua quantitate excedente summam librarum quinquaginta Imperialium, capite puniatur, ita quòd moriatur. Si verò eum redimere fecerit in minori quantitate librarum quinquaginta Imperialium, seu in re, facto, vel iure non excedente quantitatem librarum quinquaginta, puniatur in libris ducentis Imperialibus. Et nihilominus talis redemptio, & quicquid secutum fuerit ex ea, vel ob eam, nullius sit valoris, vel momenti, & nihilominus redimi faciens, condemnetur ad restitutionem eius, quòd ex tali redemptione secutum fuerit. Si verò aliquis fecerit aliquem redimere per vim, vel metum in aliqua quantitate, re, vel facto, vel iure, non tamen tenuerit, nec teneri fecerit eum inclusum, nec ligatum, nec captum, puniatur in extimatione eius, de quo fecerit ipsum redimere, & vltra in quadruplum; cuius quadrupli medietas applicetur redempto; & quicquid secutum fuerit ob eam, & ex ea causa, nullius sit valoris, neque momenti ipso iure.

Rubrica, de pœna facientis sibi tributari.

SI quis aliquem fecerit sibi tributari, puniatur in quadruplum eius, quòd sibi tributari fecerit, applicādum, pro dimidia parti, & pro reliqua dimidia Cameræ Ducali, & ad restitutionem tributorum, seu factorum. Et intelligatur etiam tributari fecisse, quicunque perceperit, vel aliquid petierit per se, vel submissam personam causa faciendi id, quòd de iure tenebatur facere, vel qui minis, aut metu aliquid ab aliquo acceperit, vel abstulerit, vel petierit.

Rubrica, de pœna Datiarij petentis, vel exigentis, quòd non ſit ei conceſſum.

SI quis Incantator, vel Datiarius, vel eius officialis, vel alius exactor, ſub prætextu, vel colore datij, vel incantus, vel officij, vel bullettæ, vel alicuius exactionis petierit, & exegerit, vel receperit qualitercunque per ſe, vel ſubmiſſam perſonam, aliquid quod non ſit ei conceſſum, vel vltra quàm ſit conceſſum, condemnetur in quadruplũ, & ad intereſſe, & damnum reſtituendum paſſis damnum, de quibus omnibus credatur vſq; in ſoldis quinq; Imperialibus, referenti ſine ſacramento, & vſq; in ſoldis decẽ Imperialibus cum ſacramento. Et vſque in ſoldis viginti Imperialibus cum ſacramẽto, & vno teſte idoneo, & abinde ſupra, vt iura deſiderant. Quarum pœnarum medietas ſit Cameræ Ducalis, & altera deferentis, ſeu accuſantis, vel conquerentis.

Rubrica, de pœna officialis committentis fraudem, vel furtum de rebus, & denarijs communis.

QVicunque officialis communis Caſaliſmaioris, & quæcunque alia perſona fraudem, vel furtum de rebus, vel in rebus, aut denarijs communis Caſaliſmaioris commiſerit, aut aliquid fraudulenter, vel furtiuè, de dictis denarijs, ſeu rebus abſtulerit, vel rapuerit, vel aliquid ab aliqua ſingulari perſona, vel vniuerſitate indebitè extorſerit, vel damnum alicui ſingulari perſonę dederit, ſeu intulerit, occaſione, ſeu prætextu dicti officij, in quadruplum condemnetur dandum, & exburſandum ſtatim ipſo iure dicto communi, ſi de rebus communis fraudem, vel furtum fecerit. Si verò de rebus alicuius ſingularis perſonæ,

vel

vel vniuersitatis fraus, vel furtum, aut damnum datum fuerit, dandum, & exbursandum illi personæ, vel vniuersitati, cui, vel quibus damnum datum fuerit. Et vltra hoc condemnetur ipsi cõmuni in libris vigintiquinq; Imperialibus. Et si fuerit officialis communis, ab ipso officio remoueatur, & priuetur, quòd de cætero non possit habere officium, neque honores, neque honorantias aliquas in commune prædicto. Et de prædictis, Dominus Potestas Casalismaioris possit, teneatur, & debeat ex officio suo inquirere, procedere, & punire, secundum quòd superius dictum est. Et vlterius delinquens puniatur secundum formam statutorum factorum de furtis.

Rubrica, de arbitrio puniendi, & inquirendi Datiarios.

DOminus Potestas Casalismaioris, qui præsens est, & per futura tempora erit, habeat arbitrium procedendi, inquirendi, condemnandi, & puniendi, & teneatur, & debeat inquirere, procedere, & condemnare, & punire ex officio, & summariè, vnumquemque Incantatorem Datiorum, vel habentem datium, vel causam ab eo, & eius officialem, & nũtium, qui coram eo aliquam accusam, denunciam, vel querimoniam dixerit, portauerit, vel fecerit, calumniosè, vel falsam de aliquo communi, vel singulari persona indebitè, & qui aliquo modo alicui communi, vel singulari personæ indebitè aliquam pecuniam extorserit, in illis pecuniæ quantitatibus, prout eidem Domino Potestati videbitur, in quibus aliàs non sit aliter de pœna prouisum. Super quibus, vel in quibus omnibus, & singulis, breuiter, & summatim, possit, teneatur, & debeat cognoscere, diffinire, pronuntiare, & executioni mandare, non obstante aliquo alio statuto, prouisione, vel reformatione, vel pacto, consilio, vel aliquo alio impedimento facto, vel fiendo, vel

do, vel quod in futurum fieri posset contra præsens statutum, vel aliquid de prædictis.

Rubrica, de pœna rapientis, vel adulterantis seu stuprantis mulierem honestam.

SI quis per vim mulierem honestam rapuerit, vel ipsam adulterauerit, seu stuprauerit, capite puniatur. Si verò nō per vim rapuerit, sed alio quouismodo mulierem, dum non sit famosa meretrix, seu publica, stuprauerit, vel adulterauerit, puniatur in libris quinquaginta Imperialibus.

Rubrica, de pœna mulieris habentis maritum, committentis sponte stuprum, & qui admittantur ad eam accusandum.

SI qua mulier habens maritum, quæ non sit meretrix publica, vel famosa, spontè commiserit stuprum, seu adulterium, capite puniatur, ad cuius criminis accusationem, & protestationē, non admittantur, nisi infrascriptæ personæ, scilicet, maritus illius mulieris, mariti pater, mulieris pater, mulieris frater, & mulieris filius, & in tali casu D. Potestas Casalisinaioris non possit inquirere, nec procedere, etiam quomodocunque reperiretur arbitrium eidem esse concessum. Si verò mulier non habens maritum, quæ non sit meretrix publica, vel famosa, spontè stuprum, uel adulterium commiserit, condemnetur in libris quinquaginta Imperialibus, si sit idonea, & habilis ad soluēdum. Si uerò non esset habilis, arbitrio Domini Potestatis puniatur, ad cuius criminis accusationem non admittantur, nisi infrascriptæ personæ. Auus, pater, filius, frater, patruus, consanguineus germanus. Et in tali casu nullus Iusdicens possit inquirere, nec procedere quomodocunque arbitrium reperiretur esse concessum. Et quantum ad suprascripta duo Capitula, meretrix publica.

publica,& famosa intelligatur illa mulier, quæ cognita fuerit à duobus,vel à duobus viris supra, vel de qua probatum fuerit per publicam vocem,& famam,quòd sit meretrix. Et saluo,quod si denunciatus, vel accusatus quis fuerit, quòd aliquam mulierem non nuptam, vel virginem carnaliter cognouerit, vel contra ipsum per inquisitionem procedatur,non possit contra eum procedi dicta occasione,nec puniri,si mulier,vel virgo pro qua accusatus fuerit, denunciatus, vel inquisitus, dixerit se fore cognitam de sua propria voluntate. Et quòd tali mulieri liceat, & tali virgini dicere, & ei credatur,& effectum habeat quandocunque, non obstante confessione aliàs facta cum iuramento, vel sine, ante condemnationem,vel sententiam,dum tamen talis mulier eum velit in maritum, & eum in maritum accipiat, & ipse eam accipiat in vxorem. Et sint tales personæ, quæ de iure canonico matrimonium simul contrahere possint.

Rubrica de Meretricibus expellendis.

ITem Statutum est,quod mulieres meretrices famosæ,vel publicæ non audeant stare,nec habitare in aliquibus vicinijs Castri,neque burgi Casalismaioris, vel eius suburbij, sed de ipsis vicinijs expellantur. Et quilibet eas accusare, & notificare possit Domino Potestati Casalismaioris, qui debeat,& teneatur eas vtsupra,de dictis vicinijs expelli facere infra duos dies proximè futuros à die notificationis sibi factæ. Et quòd tales mulieres meretrices publicæ, vel famosæ intelligantur illæ, quæ cognitæ fuerint illicitè à quatuor, vel à quatuor viris supra, vel de quibus probatum fuerit per publicam vocem, & famam per quatuor testes, quod sint meretrices publicæ,& famosæ.

Rubrica,

Rubrica, quòd quis non intelligatur commiſiſſe raptum mulieris.

NVlla perſona intelligatur commiſiſſe raptum mulieris, vel violentiam feciſſe, ſi de nocte, vel de die, & in nocte, vel in die reperta fuerit mulier eſſe in domo alicuius tertiæ perſonæ, niſi apparuerit eum ducentem eam de dicta domo manifeſte, vel probatum fuerit de violentia, ſeu dolo.

Rubrica, quòd qui tenuerit mulierem publicè, & palàm per concubinam, amaſiam, vel focariam, accuſari non poſſit.

SI quis tenuerit publicè, vel palàm aliquam mulierem pro concubina, vel amaſia, ſeu focaria, non poſſit accuſari per ipſam mulierem, nec per aliquem alium, ex eo, quòd diceretur aliquam violentiam feciſſe ipſi mulieri, ſeu amaſiæ, ſeu concubinæ, ſeu focariæ, vel quod eam carnaliter cognouiſſet per vim, nec condemnari. Et quod, qui tenuerit ſic publicè aliquam mulierem per menſem, & vltra, non poſſit accuſari, puniri, nec condemnari dicta occaſione.

Rubrica, de pœna Sodomitæ.

SOdomita puniatur, & cõburatur igne, ita, quòd ſtatim moriatur in igne, antequam familia Domini Poteſtatis de loco ſupplicij recedat.

Rubrica, quòd nullus audeat emere, vel concedere, quod aliqua mulier vadat proſtribulandum.

ITem, quòd nulla perſona audeat, vel præſumat emere, vel acquirere quouiſmodo, ſeu ſibi concedi facere, vel procurare,

curare, quòd aliqua mulier ducatur ad postribulum, vel prostituatur, nec etiam vendere, vel quouismodo concedere, aut procurare, quòd aliqua mulier ducatur ad postribulum, vel prostituatur, nec superinde aliquam obligationem, promissionem, sacramentum, aut contractum facere, sub pœna capitis. Et quòd quęlibet promissio, venditio, alienatio, sacramentum, vel contractus superinde confectus, vel fiendus, sit nullius valoris, aut momenti. Et de ipsis, & de earum occasione nõ fiat ius per Dominum Potestatem, nec per aliquem Iusdicentem terræ Casalismaioris, sed pro non factis prorsus habeantur, & annullentur. Et præsens statutum sic locum sibi vendicet, tam in forensibus, quam etiam terrigenis.

Rubrica, quòd illi, seu illæ de quibus est notorium exercere artem lenocinij, de terra, & districtu Casalismaioris expellantur.

ITem Statutum est, quòd illi, seu illæ personæ de quibus est notorium, quod huiusmodi nefandam artem lenocinij exerceant, seu faciãt, seu de quibus probari possit, quòd ipsam artem exerceant clam, seu palàm, debeant expelli, & omninò, & statim de dicta terra Casalismaioris, & eius districtu per D. Potestatem expellantur, & ex suo officio. Et quòd nullus audeat, vel præsumat tenere pro eius concubina, uel amasia, aliquam mulierem facientem publicè quęstum sui corporis in terra Casalismaioris, nec alibi sub iurisdictione dictæ terræ, nec cum ipsa in domò stare, & tanquàm de eius familia habitare, sub pœna librarum viginti-quinque Imperialium.

¶Item Statutum est, quòd Dominus Potestas prædictus saltem bis in anno teneatur de prædictis fieri proclamationes publicas facere, & diligentes inquisitiones, & delinquentes punire de prædictis.

Rubrica,

Rubrica, de modo procedendi contra delinquentes in prædictis statutis de arte Lenocinij.

ITem Statutum est, quòd Dominus Potestas prædictus, possit, teneatur, & debeat prædicta omnia, & singula statuta executioni mandare, & super prædictis procedere, punire, & condemnare, summarie, de plano, & sine strepitu, et figura iudicij, omni iuris, & Statutorum solemnitate ommissa, etiam diebus feriatis, & non feriatis.

Rubrica, quòd impunè capi possint Fures, Latrones, et Malefactores.

ITem Statutum est, quòd quicunque possit capere impunè fures, latrones, & malefactores, & cum cœperit, teneatur eos consignare, seu consignari facere Domino Potestati prædicto, sub pœna, & forma infrascripta, videlicet, si eos cœperit in terra Casalismaioris, vel eius suburbio, teneatur eos consignare ea die, si verò in districtu extra suburbium, teneatur dicta die, seu saltem sequenti consignare, seu consignari facere. Et si quis contrafecerit, si est singularis persona, condemnetur in libris quindecim Imperialibus. Si verò fuerit Communitas, vel vniuersitas, condemnetur in libris triginta Imperialibus.

Rubrica, de pœna impedientis consignare captiuum.

SI qua persona singularis, Communitas, vel vniuersitas impedierit, seu impediri fecerit, quominus aliquis qui captus fuerit, vel detentus, vt fur, latro, seu alius malefactor consignetur in fortiam Domini Potestatis prędicti, cōdemnetur sub forma infrascripta, videlicet, si fuerit singularis persona, in libris vigintiquinque Imperialibus. Et si vniuersitas,

uersitas, vel communitas in libris quinquaginta Imperialibus, & plus, & minus, habita consideratione ad ipsam vniuersitatem, seu communitatem. Et quod ad consignationem fiendã in fortiã prçfati D. Potestatis de aliquo capto, vt fure, latrone, & malefactore, teneatur quælibet vniuersitas, & cõmunitas auxilium dare cum effectu si fuerit petitum, vel requisitum, per consignare volentes eos consulibus, seu vicinis alicuius terræ districtus Casalismaioris, sub simili pęna.

Rubrica, de pœna capientis malefactorem, & negligentis dare operam, quod consignetur.

SI verò aliquis cœperit, vel aliter detinuerit, vel capi, vel detineri fecerit aliquem, vt furem, latronem, seu malefactorem in districtu Casalismaioris, & hoc non notificauerit infra vnum diem Communi, seu cõsulibus, vel saltem octo hominibus illius terræ in qua, vel cuius territorio eum cœperit, vel detinuerit, aut Domino Potestati prædicto infra eandem diem, siuè reperiatur culpabilis pro delicto pro quo captus, vel detentus erit, siuè non, incurrat pœnam statuti facti contra tenentes priuatum carcerem, nec possit condemnari in aliquam aliam pœnam. Sed si talis capiens, operam faciet cum effectu (suo posse) quòd talis captus cõsignetur in fortiam Domini Potestatis prædicti, aut cõmunis Casalismaioris, non incurrat aliquam pœnam. Et si in prædictis negligens fuerit, condemnetur pro tali negligentia in hauere, arbitrio Domini Potestatis, inspecta conditione personæ, & qualitate delicti. Si verò in terra, aut suburbio terræ Casalismaioris cœperit, similem notificationem facere teneatur Domino Potestati eadem die, quòd si fecerit, non incurrat aliquam pœnam.

Rubrica, de pœna auferentis malefactorem bannitum, & condemnatum, de manibus familiæ Domini Potestatis.

SI verò aliquis per vim auferret, vel eximeret de manibus familiæ Domini Potestatis antedicti, vel alterius, qui in fortiam ipsius D. Potestatis conduceret aliquẽ, vt furem, vel homicidam, vel alium malefactorem bannitum, & condemnatum, adeo quòd eum consignari, & in fortiam D. Potestatis conduci non permiserit, condẽnetur, & puniatur illa pœna, qua puniri deberet talis malefactor.

Rubrica, de pœna furum, latronum, & robantium.

ITem Statutum est, quòd pro primo furto non ascendente vltra summam solidorum viginti Imperialium, verberetur fur per terram Casalis maioris. Si verò excesserit summam viginti solidorum vsque ad centum solidos, verberetur, & perforetur auricula cum ferro calido: Pro secũdo verò furto vnus oculus eruatur, & perpetuò banniatur. Pro tertio verò furto furchis suspendatur, ita quòd moriatur.

¶ Robatores verò derobantes à viginti solidis supra, in strata publica, vel locis publicis, ad furcas suspendantur, ita quòd moriantur. Si verò alibi, à vigintiquinq; libris supra, ad furcas suspendantur, ita ꝙ moriantur. Et si à vigintiquinque libris infra, & à viginti solidis supra, in libris cẽtum Imperialibus condemnẽtur, & minus, prout placuerit D. Potestati prædicto, inspecta qualitate facti, & conditione personarum, & ad restituendum res derobatas. Et si sit inhabilis ad solutionem, in carceribus mancipetur per menses sex, & postea de dicta terra, & eius districtu expellatur, & banniatur, sub pœna suspensionis per gulam, ita quòd moriatur.

Rubrica, de pœna Plagiarij, Venefici, Hæretici, & Malefici.

¶Plagia-

¶Plagiarius ad furcas suspendatur, ita quòd statim moriatur.

¶Venefici capite puniantur, ita vt moriantur.

¶Hæretici, seu de hæresi dânati, corporaliter puniri possint, tam in pœnis legibus ciuilibus, quàm canonicis comprehensis.

¶Malefici, seu maluegatores arbitrio prefati Domini Potestatis puniantur in persona, & in hauere, inspecta qualitate facti, & conditione personarum.

Rubrica, de pœna receptantium scienter fures, latrones, seu derobatores.

FVrum, seu latronum, aut rerum depredatarum, seu furatarum receptatores scienter, puniantur ea pœna, qua puniendus esset talis fur, seu latro.

Rubrica, de pœna associantis aliquem ad robandum, & auxilium præstantis.

QVicunque scienter aliquê associauerit ad robandû, seu furandum, & auxilium dandum, seu adiutorium præstandum. Si commissum fuerit tale furtum, vel robaria, puniatur simili pœna, qua veniret puniendus, seu puniretur talis fur, seu derobator.

¶Bannitum de rebellione, aut proditione, seu robaria, receptans scienter, eadem pœna puniri debeat, qua puniri deberet ille bannitus, si in fortiam Domini Potestatis peruenisset.

¶Rebellis non banniti receptator scienter arbitrio præfati Domini Potestatis puniatur in hauere, vel persona, inspecta qualitate facti, & personarum.

¶Banniti, & condemnati de pœna, seu maleficio, ex quo

pœna ſanguinis ingeratur,receptator ſcienter,præterquàm in aliquo caſuum de quibus prouiſum eſt per ſtatuta Caſa. liſmaioris, puniatur in hauere, & perſona,arbitrio præfati Domini Poteſtatis prædicti, conſiderata qualitate facti, & perſonarum.

Rubrica, de pœna facientis robariam in alieno diſtrictu.

QVicunque cuiuſcunque conditionis exiſtat, tam terrerius, quam forenſis,ſtans,ſeu habitans in terra Caſaliſmaioris, vel eius diſtrictu, fecerit robariam in alieno diſtrictu de rebus alicuius terrerij habitantis,ſeu ſtantis in dicta terra, ſeu eius diſtrictu, & ſe reduxerit cum dicta robaria, vel furto in terram prædictam, vel eius diſtrictum,eadem pœna puniatur, qua puniretur ſi dictam robariam, aut furtum feciſſet in dicta terra Caſaliſmaioris,vel eius diſtrictu.

Rubrica, de pœna recipientis bannitum de maleficio,ex quo pœna ſanguinis non ingeratur.

QVicunque ſcienter receptauerit bannitum de maleficio, ex quo pœna ſanguinis non ingeratur, puniatur arbitrio Domini Poteſtatis Caſaliſmaioris in hauere tantum, conſiderata qualitate facti, & perſonæ.

Rubrica, de pœna recipientis aliquem ex prædictis eius agnatum, vel affinem.

SI quis autem ex prædictis receptatoribus receptauerit aliquem eius agnatum, vel cognatum, vel affinem vſque ad quartum gradum, bānitum, vel non bannitū, nulla

nulla pœna puniatur corporali, sed in hauere tantum, arbitrio præfati Domini Potestatis, considerata personarum conditione, & facti qualitate.

Rubrica, de pœna portantis scienter Monetam falsam, mancham, vel tonsam.

QVicunque portauerit, seu portari fecerit scienter monetam falsam, mancham, vel tonsam in terra Casalismaioris, vel eius districtu, à quantitate librarum quinque Imperialium supra, condemnetur in libris centum Imperialibus, & in amissione monetæ. Quas libras centum Imperiales si non soluerit infra mensem vnũ à die dictæ condemnationis, dicta pœna dictarum librarum centum Imperialium duplicetur. Et quòd si quis portauerit, seu portari fecerit aliquam monetam mancham, falsam, vel tonsam in terra Casalismaioris, vel eius districtu, à quantitate librarum quinque Imperialium infra, condemnetur in amissione monetæ, & in tantundem. Et si fuerit inhabilis ad soluendum dictas pœnas pecuniarias, carceribus deputetur, à quibus exire non possit vsque ad annum.

Rubrica, de pœna expendentis scienter, vel recipientis Monetam falsam.

SI quis verò expenderit, vel expendi fecerit scienter, aut receperit, vel recipi fecerit scienter monetam falsam in terra Casalismaioris, vel eius districtu a quantitate librarum quinque Imperialium supra, condemnetur in libris centum Imperialibus, & in amissione monetæ. Quam quantitatem librarum centum Imperialium, si infra mensem vnum à die dictæ condemnationis non soluerit, dicta pœna duplicetur. Si verò à quantitate librarum

quinque Imperialium infra, condemnetur in ammissione monetæ,& vltra in libris quinque Imperialibus. Si verò inhabilis fuerit vtsupra,in proximo præcedenti statuto continetur,puniatur.

Rubrica, de pœna facientis monetam falsam.

SI quis de cætero fecerit, vel fieri fecerit monetam falsam,vel tonsauerit,vel tonsari fecerit monetam, vel quouismodo falsauerit, seu falsari fecerit monetam, igne concrementur,ita quòd moriatur,si in fortiam Domini Potestatis fuerit, vel in fortiam communis Casalismaioris peruenerit. Si verò ad rationem non peruenerit, ponatur in banno maleficij,in quo si præterierit, nullo modo eximi possit, & bona eius publicentur, tam mobilia, quàm immobilia, saluo iure creditorum, & ascendentium. Et si quo tempore peruenerit in fortiam præfati Domini Potestatis,aut in fortiam communis Casalismaioris,igne cõcremetur,ita quòd moriatur vtsupra. Et quòd domus in qua falsificata fuerit dicta moneta,seu tonsa, seu quouismodo falsò fabricata, Domino dictæ domus sciente,publicetur.

Rubrica, quòd accusator illius, qui commiserit contra suprascripta Statuta loquentia de moneta falsa, habeat certam partem condemnationis in pecunia.

QVicunque accusauerit aliquem fecisse, vel commisisse contra prædicta Statuta, vel aliquod eorum, sub Rubrica, de Moneta falsa,& eius opera, seu per eius inditium,vel opus,accusatus perueniret in fortiam Domini Potestatis Casalismaioris, vel communis prædictæ terræ, & ob hoc condemnatus fuerit, dictus accusator habeat medietatem condemnationis factæ in pecunia de ipso

tali

tali condemnato. Saluo, quòd si ipse fuerit condemnatus ad mortem, secundum formam Statutorum incipientium. Si quis de cætero fecerit, vel fieri fecerit, &c. habeat de hauere Cameræ Ducalis libras quinquaginta Imperiales.

Rubrica, de pœna falsificantis sigillum Illustrissimi Domini Domini nostri, aut Potestatis, aut Communis.

SI quis falsificauerit, vel falsificari fecerit Sigillũ, vel Bullettinum Illustrissimi Domini Domini nostri, capite puniatur, ita quòd moriatur. Si verò falsificauerit Sigillum, vel bullettinum Domini Potestatis, vel communis Casalis maioris, condemnetur in libris centum Imperialibus. Et si Sigillum, vel bullettinum alicuius alterius personæ, vel vniuersitatis, vel collegij, puniatur arbitrio præfati Domini Potestatis in hauere, considerata qualitate delicti, & delinquentis.

Rubrica, de pœna falsificantis aliquam ex scripturis banchi iuris, aut aliquam ex scripturis Casalismaioris.

SI quis falsificauerit, vel falsificari fecerit aliquam ex scripturis existentibus ad cancellariam, aut bãchum iuris, seu in armario, in quo reponuntur scripturæ, & alia acta, factæ, seu productæ, & facta, seu producta ad bancum iuris, seu etiam aliquam scripturam communis Casalismaioris, amittat manum dexteram.

Rubrica, de pœna facientis, vel fieri facientis cartam falsam.

SI quis verò fecerit, vel fieri fecerit cartam falsam, vel aliqua alia acta publica falsa, vel falsificauerit, seu falsificari fecerit aliquam cartam, vel condemnationem, vel accusationem,

tionem, vel dicta testium, vel confessionem, vel testes, vel acta publica scripta, vel scriptos, vel aliàs scripturas publicas, manum dexteram amittat, & si fuerit Tabellio, vltra pęnam prædictam, ab officio Tabellionatus remoueatur, & priuatus sit ipso iure.

Rubrica, de pœna producentis in iudicio cartam falsam, vel condemnationem falsam.

SI verò aliquis produxerit in iudicio cartam falsam, vel condemnationem falsam, vndecunque ei venerit, puniatur ea pœna, qua puniretur facientes instrumentũ falsum. Et si ignoranter produxerit, & postq̃ interrogatus fuerit ab eo, qui dixerit uelle instrumentum arguere de falso, si non abstinuerit ab usu, condemnetur in libris quinquaginta Imperialibus. Possit tamen impunè ab usu abstinere, postquam dixerit se uti uelle infra dies uiginti sequentes, nisi exhibuerit in iudicio actorem suum, quo casu in nihilo condemnetur. Sed eo casu præfatus Dominus Potestas, & quilibet alius Iusdicens teneatur procedere contra talem actorem.

Rubrica, de pœna Correrij facientis citationem falsam, & exercentis officium Correrij, qui non sit Correrius.

SI quis Correrius citationem, præceptum, uel relationem falsam fecerit, acriter frustetur per terram Casalisinaioris, & ad restitutionem damni, damnum passo condemnetur. Et si quis qui non sit Correrius, officium Correrij fecerit, tanquàm instrumentorum falsarius puniatur.

Rubrica,

Rubrica, de pœna interrogati utrum uelit uti Instrumento, an nè, & respondentis quod sic.

SI quis produxerit aliquod instrumentum factum ad postulationem ipsius, uel sui missi, uel sui procuratoris, & interrogatus fuerit utrum uelit uti, an ne, teneatur præcisè respondere, uel sic, uel non. Qua responsione facta, quòd sic, si probatum fuerit ipsum instrumentum esse falsum, puniatur tanquàm falsarius instrumenti.

Rubrica, de pœna dicentis falsum testimonium in causa criminali.

SI quis falsum testimonium dixerit, ut aliquis condemnetur in causa criminali, puniatur illa pœna, qua puniendus esset ille contra quem falsum testimonium dixerit, si corporaliter ueniret puniendus. Si uerò pecuniariter, tunc condemnetur in duplum quantitatis, quæ deduceretur in condemnatione. Si uerò testimonium dixerit, ut aliquis in criminali causa absoluatur, similiter puniatur ea pęna, qua puniendus esset ille, in cuius fauorem testimoniũ dixerit, si corporaliter ueniret puniendus. Si uerò pecuniariter, tunc cõdemnetur in duplum eius quantitatis, quę deduceretur in condemnatione, si processus aliàs probatus fuisset contra illum. Et in quolibet casuum prædictorum amputetur ei lingua, nisi maior pœna ueniet ei imponenda uigore aliorum statutorum, & ultra coronetur pro falsario.

¶Si uerò falsum testimonium dixerit in causa ciuili, amputetur ei lingua, & coronetur, & condemnetur ad restitutionem damni damnum passo. ¶Eadem pœna puniatur ille, qui scienter, & dolosè produxerit in causa criminali falsos testes, uel falsum testẽ, uel eis, uel eo scienter usus fuerit.

Rubrica,

Rubrica, quòd Notarij infamati de falsitate, non possint officium sui Tabellionatus exercere.

NVllus Notarius, vel Tabellio possit, nec debeat officium suum in terra Casalismaioris, vel eius districtu exercere, si per Consilium, & Notarios Casalismaioris infamatus fuerit voce præconis, & sono campanæ super platea communis Casalismaioris, vel eius foro, fraudem, vel falsitatem in officijs Notariæ commisisse. Et quicquid fecerit post dictam infamiam publicatam in arte prædicta non valeat. Et vltra, si postea exercuerit, possit impunè realiter, & personaliter offendi. Et vltra teneatur restituere damnum, & interesse passo damnum in duplum. Et Dominus Potestas Casalismaioris teneatur, & debeat corã eo portari facere imbreuiaturas talis Notarij infamati, & ab officio Tabellionatus remoti, infra tres dies post publicationem eius infamiæ. Et eas imbreuiaturas gubernari facere in cancellaria Domini Potestatis, ita quòd nulla falsitas, nec vitium possit in dictis imbreuiaturis committi.

Rubrica, de pœna committentis falsum testimonium in casibus in quibus per statuta pœna certa non sit statuta.

FAlsum testimonium committens, arbitrio Domini Potestatis puniatur in hauere tantũ, præterquàm in casibus in quibus lege municipali pœna certa statuta est, in quibus casibus puniatur secundum ipsum ius municipale.

Rubrica,

Rubrica, quòd condemnati de falso non possint habere officium.

NVllus condemnatus, & bannitus de falso possit habere, nec exercere officium publicum in terra, neque in districtu Casalis maioris, nec etiam aduocationem, nec procurationem exercere, nec testimonium perhibere.

Rubrica, de pœna Incendij.

SI quis incendium, seu ignem posuerit, vel poni fecerit in domo alicuius habitata, vel sacra, vel religiosa, capite puniatur, ita quòd moriatur. Qui verò incendium posuerit, vel poni fecerit, propter quòd damnum dederit à libris quinquaginta Imperialibus supra, condemnetur in libris ducentum Imperialibus, & ad restitutionem damni in duplum damnum passo, Si verò incendium, vel ignem posuerit, vel poni fecerit, propter quod damnum insequutum sit à libris duodecim supra vsq; in quinquaginta, puniatur, & condemnetur in libris centū Imperialibus, & ad restitutionem dati damni in duplum damnum passo. Si verò incendium, aut ignē posuerit, vel poni fecerit, propter quod damnum sequutum fuerit à libris duodecim Imperialibus infra vsq; ad quinque, puniatur in libris vigintiquinq; Imperialibus, & ad restitutionem damni in duplum damnum passo condemnetur. Si verò à libris quinque Imperialibus infra, puniatur in libris duodecim Imperialibus, & ad restitutionem damni dati in duplum damnum passo. Et in casu quo aliquis ex prædictis esset inhabilis ad soluendum dictas pœnas pecuniarias, puniatur pœna carceris tunc, hoc modo videlicet, loco pœnæ librarum ducentarum, per annum deputetur carceribus. Loco pœnæ librarum centum, per sex menses, & loco pœnæ librarum vigintiquinque, per duos menses ad carceres condemnetur.

Rubrica,

Rubrica, de pœna dantis damnum: aliter quàm per incendium.

SI quis damnum dederit, vel guastum, seu dari fecerit, aliter quàm per incendium, à quinque libris supra, condemnetur in libris vigintiquinque Imperialibus, & in duplum damni dati damnum passo. Si verò à libris quinq; Imperialibus infra, arbitrio Domini Potestatis condemnetur, dummodo condemnatio non excedat libras duodecim Imperiales, & ad restitutionem damni in duplum damnum passo, & de carceribus non relaxetur, donec dictam pœnam soluerit. Et cum læso pacem, & compositionem fecerit.

Rubrica, de pœna iniuriantis Dominum Potestatem terræ Casalismaioris.

QVicunque Domino Potestati terræ Casalismaioris, vel eius Officialibus, aut alicui officiali cõmunis terræ prædictæ iniuriatus fuerit aliqualiter, puniatur in hauere tantum, in arbitrio præfati Domini Potestatis, habendo semper respectum ad qualitatem iniuriæ, & qualitatem personæ.

Rubrica, quod minor quatuordecim annis non puniatur ad mortem.

NVllus committens maleficium, seu delictum, ex quo pœna corporalis ingeratur, existens in minori ætate annorum quatuordecim completorum puniatur ad mortem, nec ad membri incisionem, nec membri priuationẽ, sed aliter, arbitrio Domini Potestatis in hauere, inspecta facti qualitate minor ipse puniatur, vel etiam in persona, citra pœnas prædictas.

Rubrica,

Rubrica, de pœna rumpentis fidantiam, pacem, vel treguam.

QVicunque ruperit fidantiam, pacem, vel treguam, per offensam factam in personam illius, cum quo pacem, vel fidantiam, vel treguam fecerit, puniatur de percussione, vel ferita, vel alia offensa, secundum formam præsentium Statutorum, & vltra in libris centum Imperialibus, cuius pœnæ medietas sit Cameræ Ducalis, & alia offensi. Si verò ruperit fidantiam, vel pacem, aut treguã offendendo in bonis, aut in rebus illius, cum quo pacem, fidantiam, vel treguam fecisset, puniatur de offensa facta in bonis, vel in rebus, secundum formam præsentium Statutorum, & vltra in libris quinquaginta Imperialibus, cuius pœnæ sit medietas Cameræ Ducalis, & alia medietas offensi. Saluis nihilominus remanentibus omnibus pactis, conuentionibus, & promissionibus etiam pœnalibus factis inter eos, qui pacem, fidantiam, aut treguam fecerint. Et in præsenti Statuto posita locum habeant tam in bannitis etiam de maleficio, quàm etiam in alijs. Et hoc non obstante statuto continente quod omne damnum, & iniuria lata in persona, & rebus banniti, remaneant impunita, nec aliquo alio statuto de iure in contrarium loquente. Et quòd pax si foret rupta, pœna apposita in instrumẽto pacis perueniat medietas ad præfatam Cameram Ducalem, & altera medietas in partem læsam. Et Dominus Potestas ex officio suo, & extra ordinem teneatur exigere ipsam pœnam ad vtilitatem Cameræ præfatæ, & personæ læsæ cuius pax foret rupta, sine libelli datione, & sine strepitu, & figura iudicij. Et teneatur præfatus Dominus Potestas executioni mandari facere infra vnum mensem.

¶ Et si Dominus Potestas fecerit, vel præceperit silẽtium de verbis iniuriosis, aut pacem, vel treguam inter personas

habentes discordiam, seu in iudicio aliqua cautio fuerit exposita, & si aliqua pœna fuerit adiecta, & silentium de verbis iniuriosis, aut pax, vel tregua rupta fuerit, vel pręfato Domino Potestati fuerit obtemperatum per aliam partium, medietas dictæ pœnæ perueniat Cameræ prælibatæ, & alia medietas in illam personā, vel in illas personas, seu suos hæredes, quibus pax, seu tregua, aut silentium ruptum fuerit. Et idem seruetur, si pœna debeatur esse ex compromisso propter pacem ruptam.

Rubrica, de pœna Loci, vel villæ, in quibus banniti de crimine læsæ maiestatis, &c. conuersantur.

SI quis bannitus de crimine læsæ maiestatis, sodomiæ, proditionis patriæ, de homicidio, incendio, guasto, seu robaria, vel furto, in castro, burgo, villa, vel alio loco submisso iurisdictioni terrę Casalis maioris, repertus fuerit conuersari, postquàm notum fuerit, aut denuntiatum, condemnetur locus ille, si fuerit bannitus de crimine læsæ maiestatis, sodomiæ, robariæ, vel furti, in libris centum Imperialibus, & minus arbitrio Domini Potestatis. Et si fuerit condemnatus, vel bannitus de homicidio, vel incendio, condemnetur talis locus in libris vigintiquinque Imperialibus. Et si fuerit de guasto, locus condemnetur in libris decem Imperialibus, ad quam condemnationem teneantur omnes stantes, & habitantes in dicto loco. Saluis viduis, pupillis, orphanis, & minoribus quatuordecim annorum, & quibuscunque alijs miserabilibus personis. Et miserabiles personæ intelligantur ille de quibus declaratum fuerit per Dominum Potestatem. Saluo si prædictorum locorum homines, vel consules denuntiauerint præfato Domino Potestati, quòd tales banniti conuersantur in suis terris, quo casu tales loci minimè ad dictas pœnas teneantur.

Rubrica,

Rubrica, de arbitrio inquirendi, & condemnandi dantes impedimentum ad capiendum, & conſignandum malefactores.

DOminus Poteſtas Caſaliſmaioris habeat arbitrium inquirendi, procedendi, & condemnandi ſecundum formam præſentium ſtatutorum, quemlibet eorum, qui daret impedimentum alicui miſſo Domini Poteſtatis prædicti, vel alijs volẽtibus ex præcepto Domini Poteſtatis capere, vel captos dare aliquos malefactores. Et ſi communia aliquorum locorum paterentur aliquam condemnationem, vel damnum occaſione aliquorum habitantium in terris ſuis, poſſint ipſa communia habere, & habeant regreſſum contra illos, quorum occaſione damnum paterentur.

Rubrica, de pœna facientis pignerationem, vel ſequeſtrationem ſine licentia.

QVicunque pignerationem, vel ſequeſtrationem ſine licentia Domini Iuſdicentis fecerit, vel fieri fecerit, niſi in caſibus permiſſis, omne damnum, quòd paſſus fuerit is, qui actionem habuerit, vel pignerationem, vel ſequeſtrationem fecerit, vel fieri fecerit, & inſuper expenſas, quas proinde fecerit, reſtituat damnum paſſo, arbitrio Iuſdicentis præfati abſque iuramento, priuſquàm ius ſuum conſequatur. Et inſuper Correrius componat libras quinque Imperiales. Et quilibet poſſit accuſare, & medietas pœnæ ſit Cameræ Ducalis, & altera medietas accuſatoris.

Rubrica, de pœna euntis de nocte.

NVllus audeat ire cum armis cum lumine, vel sine armis sine lumine, per terram Casalismaioris, aut eius burgos, seu vicinantias, post campanam de sero vsque ad Aue Maria de die, quæ pulsatur super turri communis. Et qui contrafecerit, si habuerit arma, & fuerit sine lumine, cōdénetur in solidis triginta Imperialibus, & amittat arma. Et si habuerit arma cum lumine, in solidis viginti Imperialibus, & in amissione armorum. Et si non habuerit arma, in solidis quinque Imperialibus, nisi habuerit lumē, & nisi esset persona bonæ conditionis. Si verò aliquis inuentus fuerit de nocte per aliquem ex familia Domini Potestatis, & fugerit, non permittēdo se circare, si fuerit cognitus, condemnetur in solidis quinquaginta Imperialibus. Et si fuerit miserabilis inhabilis ad prædictam pœnam, puniatur in carceribus arbitrio Domini Potestatis, inspecta conditione personæ. ¶Nullus verò vadat de nocte post sonum campanæ vsque ad campanam diei, cum lumine, vel sine, cum aliqua viola, vel luguto, vel alio instrumento ad sonādum, & si quis repertus fuerit contrafecisse, puniatur in solidis viginti quinque Imperialibus, & quilibet possit accusare, & credatur accusatori cum sacramēto, & vno teste fidedigno. Et similiter, quilibet possit accusare euntes de nocte cum armis, vt supra dictum est in proximo præcedenti statuto, & accusatores habeant medietatem dictarum pœnarum, & alia medietas applicetur Cameræ Ducali.

Rubrica, de pœna portantis arma.

ITem Statutum est, quòd nullus ciuis, aut terrerius, siuè etiam forēsis, per terram Casalismaioris, vel eius burgos, saluis

saluis stipendiarijs Illustrissimi Domini Domini nostri, audeat, vel præsumat ferre arma offensibilia, nec defensibilia. Et si quis fuerit inuentus ferre, soluat pro banno pro armis offensibilibus solidos quadraginta Imperiales pro quolibet genere armorum offensibilium, & pro qualibet vice, pro armis verò defensibilibus soluat solidos viginti Imperiales. Et in omnibus prædictis casibus perdat arma. Saluo, quòd forenses facientes transitum per terram prædictã, & non facientes moram, nisi forte pro bibendo, aut comedendo, si in itinere, seu transitu portauerint arma, non intelligantur cadere ad dictam pœnam. Et de prędictis credatur familiæ Domini Potestatis. Hospites verò teneãtur denunciare cuilibet forensi faciẽti moram ad eorum hospitia pro bibendo, aut comedendo, quòd deponant arma postquàm applicuerint, quòd si non denuntiauerint, ipsi hospites per se, vel suos famulares cadant ad pœnam prædictam, de qua denunciatione credatur sacramento hospitum.

Rubrica, de pœna facientis societatem armatam, &c.

NVlla persona singularis, vel vniuersitas cuiuscunq; cõditionis, & status existat, p̃sumat facere societatẽ, vel inuitamentũ rei improbę, vel ligã improbã in terra Casalismaioris, vel eius districtu, nisi pro taxãdo cõtratas terræ prædictæ, & pro resistẽdo inimicis Illustriss. Domini Domini nostri, & communis Casalismaioris, & pro resistendo malefactoribus. Et qui contrafecerit, si fuerit actor, condemnetur in libris ducentis quinquaginta Imperialibus, pro quolibet eorum, & plus, & minus arbitrio Domini Potestatis facti qualitate inspecta, & personarum conditione. Et de prædictis teneatur inquirere, & procedere ex officio.

Rubrica, de pœna Consulum, aut Vicinorum non notificantium congregationem hominum armatorum.

SI de cętero contigerit fieri aliquod adunamentum, seu congregationem hominum armatorum in aliqua vicinia terræ Casalismaioris, aut in aliqua villa, seu loco districtus eiusdem terræ, pro aliqua contẽtione, discordia, vel guerra, seu rixa, aut mesclantia, quæ esset, vel esse speretur in terra prædicta Casalismaioris, vel eius districtu, aliqua de causa, seu occasione, sine præcepto, vel licentia Domini Potestatis Casalismaioris. Consules si ibi fuerint, aut vicini illius viciniæ, seu villæ, aut loci, si ibi consules non fuerint, teneantur, & debeant dicere, seu notificare præfato Domino Potestati eo die, vel immediate sequenti, si eo die nõ poterit, quo dicta congregatio facta fuerit. Et qui, seu de quibus locis, seu loco fuerint, vel iuerint ad ipsam congregationem. Et si dicti consules, aut vicini contrafecerint, cadant in pœnam librarum decem Imperialium, pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de pœna currentium ad arma, & congregantium se in domo alicuius personæ singularis.

ITem Statutum & ordinatum est, quòd nullus de terra Casalismaioris, vel eius districtu, aut forensis, vel alicuius alterius conditionis audeat, vel præsumat de cætero cum armis, vel sine, se congregare, ire, vel currere ad domum alicuius, tẽpore alicuius rumoris, seu nouitatis. Et si fortè necessarium fuerit currere ad arma, debeant currere, & se congregare ad domum, seu pallatium Domini Potestatis Casalismaioris pro eum defendendo, & manutenendo, si tempus exegerit, aut pro faciendo ad eius mandatum quicquid fuerit

rit expediens. Et hoc ſub pœna librarum quinquaginta Imperialium pro quolibet pedite, & cẽtum pro quolibet equeſtre, & qualibet vice. Et de prædictis Dominus Poteſtas teneatur, & debeat ex officio inquirere, punire, & condemnare. Saluo, quòd hoc ſtatutum non vendicet ſibi locum in quæſtionibus, ſeu diſcordijs, quæ occurrent inter vicinos, & alias ſingulares perſonas.

Rubrica, de pœna cuſtodis carcerum.

SVperſtás, ſeu cuſtos carcerum, qui dimiſerit fugere, uel de carceribus extraxerit carceratum ſine licentia Domini Poteſtatis Caſaliſmaioris, ſiue cuius mandato captus fuit, uel ſucceſſoris ſui, uel creditoris, ad cuius inſtantiam fuerit carceratus pro debitò pecuniario, condemnetur ad ſoluendum debitum, pro quo talis fuerit captus, uel detentus illi ad cuius inſtantiam erat captus. Et ſi ex cauſa maleficij captus fuerit, condemnetur ſuperſtans, ſeu cuſtos carcerum arbitrio præfati Domini Poteſtatis habita conſideratione ad qualitatem maleficij, & perſonæ ſuperſtantis, ſeu cuſtodis carcerum, qui talem detentum, ſeu carceratum dimiſerit fugere.

Rubrica, de pœna rumpentis carcerem.

FVgens, ſeu diſrumpens carcerem, uel oſtia carcerum dolosè, aut cauſa fugiendi, & etiam fugiens de carceribus puniatur realiter, & perſonaliter, arbitrio Domini Poteſtatis, conſiderata conditione, & qualitate delicti.

Rubrica,

Rubrica, de pœna cuſtodis carcerum imbogantis, &c.

CVſtos, ſeu ſuperſtans carcerum, non debeat aliquem detentũ, ſeu carceratũ imbogare, ſeu in ceppo tenere, ſine licẽtia D. Poteſtatis, nec etiã tenere, auferre, uel denegare cibum, & potum per ſe, uel aliũ, nec aliud grauamen, uel aſperitatem ſibi facere ultra cuſtodiam ſolitam, & ordinatam, niſi pro ut conuenienter fit aliis carceratis. Nec quicquam ultra conceſſum petere, uel recipere à carcerato. Et ſi contrafecerit pro quolibet, & qualibet uice condemnetur, & puniatur in libris decem Imperialibus, de quo grauamine credatur ſacramento carcerati, inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum.

Rubrica, quòd banniti, & condemnati de maleficio poßint offendi.

OMne damnum, iniuria, & maleficium datum, & factum in perſona banniti, & condemnati de maleficio, ex quo pœna mortis ingeratur, perpetuò remaneat impunitum, & impunita; Si verò in perſona banniti, & condemnati de maleficio, ex quo pœna ſanguinis citra mortem ingeratur, tunc remaneant impunita, dummodo ſit offenſa citra mortem; Et proceſſus qui fieret per quẽcunque Rectorem ipſo iure ſit nullus, excepto, quòd ſi offenſa fieret illi bannito per illum, vel illos, qui in pace, vel tregua ſecum forent, perinde maleficium puniatur, ac ſi in banno maleficij non eſſet.

Rubrica,

Rubrica, quòd banniti, & condemnati de maleficio, non admittantur ad petitionem sui iuris, nec ad testificandum.

BAnniti, & condemnati de maleficio, non admittantur ad petitionem sui iuris, nec ad aliquod testimonium reddendum durante condemnatione, & banno.

¶Condemnati verò, & banniti pro fideiussionibus maleficij, perhibere possint testimonium, nisi aliàs à iure prohibeatur.

Rubrica, de pœna non venientis ad custodiam, vel à custodia recedentis.

DOminus Potestas Casalis maioris possit, & debeat punire, & mulctare de facto absque sententia, vel præcepto, aut alia solemnitate, quemlibet non venientem ad custodiam per se, vel per idoneam personam, vel à custodia recedentem ante tempus debitum, & nullam custodiam facientem, vsque in tres solidos, arbitrio suo, & minus pro vt ei videbitur, considerata conditione temporis, & facti qualitate, & personæ.

Rubrica, de pœna Consulum non notificantium homicidium, & feritas, & quodlibet aliud maleficium.

COnsules cuiuslibet viciniæ, vel loci, ea die qua homicidiū, seu ferita sanguinolenta, seu quodlibet aliud maleficium factum, vel facta fuerit in eorum vicinijs, seu locis, vel sequenti, teneantur notificare ipsam feritam, seu homicidium, seu quodlibet aliud maleficium corā Domino Potestate prædicto. Et hoc sub pœna solidorum quin-

quinquaginta Imperialium de proprio hauere Cõsulis, pro sola ferita sanguinolenta, & alio maleficio, & librarũ quinque Imperialium pro ferita, ex qua homo moriatur. Et si prædicti consules fuerint negligentes in notificando vt supra, præfatus Dominus Potestas, vel eius officialis cum licẽtia ipsius possit inquirere de ipsa negligentia contra ipsos Consules, & ipsos punire, & condemnare vt supra. Et prædicta omnia, & singula in prædictis capitulis superius descripta non habeant locum, si maleficia, ferita, vel homicidium fierent inter forenses.

Rubrica, de his, qui debent cogi satisdare de non offendendo.

PRæfatus Dominus Potestas omnibus iuris remedijs teneatur ad petitionem cuiuslibet petentis, & dicentis se timere de aliquo ne eum offendat, cogere ipsum, & ipsos de quo, vel de quibus timetur, satisdare cum bonis fideiussoribus de libris ducentis quinquaginta Imperialibus, & plus, & minus arbitrio ipsius Domini Potestatis, inspecta qualitate facti, & personarum, de non offendẽdo ipsum in hauere, nec in persona, dummodò sit talis persona, de qua verisimiliter petens satisdationem possit timere, vel ipso petente faciẽdo primo aliquam informationem ipsi Domino Potestati de causa ipsius timoris.

Rubrica, quòd suspensio banniti, vel condemnati habeantur pro cancellata.

SVspensio banniti, vel cõdemnati, vel condemnationis tam hactenus facta, quàm in futurum fienda per Illustrissimum Dominum Dominum nostrum, vel eius mandato, habeatur pro abolitione, & cancellatione banni, vel condemnationis, quo ad omnem effectum iuris durante tem-

te tempore in suspensione contento, non obstantibus aliquibus cridis, statutis, prouisionibus, & reformationibus in contrarium hactenus factis, vel in futurum fiendis.

Rubrica, de pœna Rebellium.

SI quis bannum de rebellione communis Casalismaioris habuerit, & in eo præterierit, si in fortiam Domini Potestatis, vel dicti communis peruenerit, capite puniatur, ita quod moriatur, Rebellis verò communis prædicti non bannitus puniri possit, & cōdemnari in hauere, vel persona, arbitrio Domini Potestatis, inspecta qualitate facti, & conditione personæ. Et si quis tractauerit cum talibus inobedientibus rebellibus dicti communis, vel qualibet alia singulari persona, collegio, vel vniuersitate, ex quo status Illustrissimi Domini Domini nostri, vel communis Casalismaioris in aliquo turbaretur, vel turbari posset, vel litteras, seu nuncios, seu spias receperit, vel mandauerit in detrimētum præfati Illustrissimi Domini Domini nostri, vel communis prædicti, puniatur in hauere, vel persona arbitrio Præfati Domini Potestatis inspecta qualitate facti, & personarum. Et in prædictis casibus, & quolibet prædictorum præfatus Dominus Potestas suo officio teneatur, & debeat inquirere, & procedere indicijs, argumentis, vel præsumptionibus præcedentibus, & punire, & condemnare secundum exigentiam delictorum.

Rubrica, qui intelligantur Rebelles.

COmmunis Casalismaioris rebelles intelligātur ipso iure hi, qui aduersantur pacifico, ac tranquillo statui Illustrissimi Domini Domini nostri, vel communis Casalismaioris.

Rubrica,

Rubrica, de pœna tractantium contra statum Domini nostri.

SI aliqua persona supposita iurisdictioni Casalismaioris, forensis, vel oriunda, vel etiam aliundè fecerit, tractauerit, vel quoquomodo prouocauerit per se se, vel p alium, contra pacificum, & beatum statū Illustrissimi Domini Domini nostri, vel communis Casalismaioris, si venerit in fortiam Dominorum Rectorum Casalismaioris, vel in fortiam dicti communis, capite puniatur, ita quòd moriatur. Et si in fortiam Dominorum Rectorum nō venerit, vel communis, banniatur, & condemnetur de maleficio, & proditione patriæ.

Rubrica, de pœnis duplicandis contra illos, qui offendere volunt, vel offendunt officiales exercentes eorum officium.

ITem Statutum est, quòd si in aliqua terra supposita iurisdictioni terrę Casalismaioris, aut in ipsa terra Casalismaioris fierent aliqua maleficia, vel assaltus contra aliquem officialem communis in exercendo officium suum cum expressa licentia Domini Potestatis, vel si aliquis officialis fuerit vulneratus in locis prędictis, vel in aliquo prędictorum, quòd inferenti iniuriam, vel alia maleficia committenti in dictum officialem, imponatur pœna duplex eius, quòd imponeretur, si prædicta maleficia essent commissa contra aliquem, qui non esset officialis. Et locus, idest villa condemnetur in libris decem Imperialibus, si homines illius villæ fuerint negligentes in capiendo, & præsentando Domino Potestati talia maleficia committentes, & minus, inspecta qualitate delictorum, & personarum.

Rubrica,

Rubrica, de pœna exeuntium extra terram per alia loca, quàm per portas caſtri, & alia loca ordinata.

ITem Statutum eſt, quòd aliqua perſona, cuiuſcunque ſtatus exiſtat, non audeat, neque præſumat de die, neq; de nocte tranſire palancatum, neque murum terræ Caſaliſma ioris in aliqua parte, nec exire terram, ſeu caſtrum, niſi per portas ordinatas, cum perſonis, nec beſtijs. Et qui contrafecerit, ſi fuerit de die, puniatur, & ſoluat pro banno libras vigintiquinque Imperiales. Et ſi de nocte, libras quinquaginta Imperiales. Quam pœnam ſi ſoluere non poterit infra decem dies à die condemnationis publicatæ, remaneat in carceribus donec ſoluerit condemnationem. Et ſuper prædictis Domini Poteſtates, & eorum Comilitones habeant plenam bayliam inquirendi, & procedendi ad eorum liberam voluntatem, non obſtante aliquo alio ſtatuto.

Rubrica, de pœna currentium equos, & bubulcorum, non ſtantium ante beſtias.

ITem ad obuiandum caſibus periculoſis, qui poſſent euenire propter currentes equos; Statutum & ordinatum eſt, quod aliqua perſona, ſiuè ſit ciuis, ſiuè forenſis, non audeat, neque præſumat currere aliquem equum, nec equam, vel aſinum, vel aſinam, per terram Caſaliſmaioris, nec per eius burgos, tam per burgum caſtri, quàm etiam ſuperioris, vel inferioris, neque per ſtratas publicas in dicta terra, excepto ſuper aggere nouo mercati. Et hoc ſub pęna ſolidorum centum Imperialiũ. Et quòd nullus bubulcus audeat ire ſuper plauſtro per loca ſupraſcripta, ſed sẽper ſtet ante beſtias ad timonum. Et ſi contra prædicta, vel aliquod prædictorum fiat, puniatur contrafaciens pro qualibet vice in ſolidis

decem Imperialibus. Et nihilominus si aliquis peribit sub equo, vel equa, aut aliqua alia bestia casibus prædictis sub plaustro, vel careta, puniatur secundum iura communia.

¶ Et quòd nullus debeat ballistrare, nec cum arcu sagittare in dicta terra Casalismaioris sine licentia Domini Potestatis, & in loco vbi non immineat periculum, sub pœna solidorum viginti Imperialium. Et Dominus Potestas debeat hoc Statutum publicari facere in principio sui regiminis, secundum quod facit suas cridas.

Rubrica, de pœna vsurariorum, & aliorum non denuntiantium res robatas.

ITem ad obuiandum furtis, & robarijs, statutum est, quod si contigerit aliquas res furari, vel derobari de die, vel de nocte, & ille cui ille res fuerint derobatæ, vel dicerentur derobatæ, vel eidē aliquod furtum factum foret, iuerit ad vsuram Casalismaioris, vel ad parolarios, seu magnanos, hospites, vel paterios, seu ad aliquas personas alias, & eis notificauerit, & signa rei derobatæ dixerit, & dimiserit scripta in quadam cędula, & post talem notificationem, prædictæ res furatæ, vel derobatæ, fuerint portatæ ad domos, vel ad stationes prædictorum, incontinenti prædicti tales, quibus sic fuerit notificatum, ad quorum manus prædictæ res sic furatæ, vel derobatæ peruenerint, teneantur, & debeant notificare Domino Potestati Casalismaioris dictas res, & nomina portantium. Et si reperiretur post dictam notificationē ipsos quibus facta fuerit dicta notificatio habuisse, vel habere dictas res, vel eas vendidisse, vel alienasse, vel portatas nō notificasse vtsupra, condemnentur & puniantur pro qualibet re, & qualibet vice, in solidis centum Imperialibus. Et quilibet possit tales non notificantes accusare, & habeat medietatem banni, & condemnationis.

Rubrica,

Rubrica, quòd nullus audeat facere domos paleatas in castro, nec burgo castri terræ Casalismaioris.

ITem Statutum est, quod nulla persona audeat de cætero facere, vel fieri facere aliquam domum, cassinam, barchum, tezias, nec aliquem tectum paleatum, vel palleatam in castro, nec burgo castri Casalisimaioris. Et quòd quilibet habens aliquod de prædictis in dicto castro, uel burgo, ipsam, vel ipsum coopertorium paleatum destruere, & remouere teneatur infra decem dies à die præcepti facti sibi ex parte Domini Potestatis, pœna cuilibet contrafacienti librarum decem Imperialium, & minus arbitrio præfati Domini Potestatis. Et Consules, seu Deputati teneantur denũtiare præfato Domino Potestati. Et præsens Statutum cridetur in principio Regiminis cuiuslibet Rectoris.

Rubrica, de declaratione armorum offensibilium.

ITem Statutum est, ꝙ quo ad Statuta loquentia de insultibus, & feritis, seu pcusionibus factis, seu fiędis cũ armis vetitis, &c. Arma vetita sint, & esse intelligantur, ensis, stochus, cultellus à gallono, folzonus, folcia, securis, raschus, spitus ferri, ronconus, manaria, misericordia ferrea, forca, lancea, manarisius, daga, cultellisia, azza, cultellus, pergamaschus, mazza ferrea, spontonus, glauarina, lanzonus, cultellus à vagina, cuius lama sit acuta, & longa vltra vnũ semisse. Quò uerò ad statuta loquentia de pœna portantis arma uetita. Arma uetita intelligãtur ensis, stochus, cultellus, pergamaschus, mazza ferri, glauarina, spõtonus, lanzonus, cultellus à uagina, cuius lama sit acuta, & longa ultra unũ semisse.

Rubrica, de pœna portantis arma defensibilia.

ITem Statutum est, quòd nullus portet arma defensibilia per terram, seu districtum Casalisimaioris, sub pœna solidorum

lidorum vigintiquinque Imperialium, pro quolibet, & qualiber vice, quæ arma intelligantur, si sint coratia: panzeria: cassetus ferri, vel azzalis: tauolatium: cerueleria: barbuta: collarium ferri, vel azzalis: scutum: bocholerium. Saluo, quòd quis in eundo, vel veniendo de villa, aut portando causa vẽdendi, vel aptare faciendi in arbitrio ipsius Domini Potestatis, & eius militis, inspecta conditione personarum, & qualitate facti, nullam pœnam patiatur. Non præiudicãdo propterea statuto posito sub Rubrica, de pœnis portantium arma per terram, aut burgos Casalismaioris.

Rubrica, de pœna Correriorum non portantium arma Illustrißimi Domini Domini nostri.

ITem Statutum est, quòd aliquis Correrius communis Casalismaioris non audeat, nec præsumat portare super biretis, capucijs, bulzijs, vel annulis, aliquod smaltum, vel arma, nec insignia alicuius personæ, præterquàm arma, vel insignia Illustrissimi Domini Domini nostri, uel etiam Domini Potestatis, uel communis Casalismaioris, quę insignia præfati Illustrissimi Domini Domini nostri, ipsi Correrij portare debeant super capucijs, uel biretis, sub pœna solidorum uiginti Imperialium, pro quolibet, & qualibet uice, & quilibet posit eos accusare, & habeat medietatem condemnationis.

Rubrica, de remißionibus fiendis propter pacem.

ITem ad hoc ut personæ non habeant causam se absentandi à terra Casalismaioris, uel eius districtu, propter pœnas appositas in statutis, & ordinamentis dictæ terræ ob delicta per personas commissa, seu quæ committi possent, & vt etiam personæ habeant causam melius, & leuius se componen-

ponendi, & pacificandi, & etiam ut condemnationes melius, & habilius exigantur, & conditio terræ melior fiat; Statutum, & ordinatum est, quòd de omnibus maleficijs, quibus imponitur pœna pecuniaria, pax, & remissio fieri possit quandocunque ante sententiam. Et facta pace, vel remissione, quarta pars totius pœnę imponendæ tollatur. Confitentibus verò delictum ante litem contestatam, vel in litis contestatione, quartum remittatur ipsius totius pœnę quę ex inde fieri deberet ex delicto. Soluentibus verò in termino quarta pars condemnationis, seu pœnæ remittatur, & ipso iure remissa intelligatur esse. Et hæc locum non habeant in condemnationibus factis, & fiendis ex officio stratarũ, clausorum, victualium; nec etiam locum habeant in maleficijs, quorum occasione pœna librarum decem Imperialium, & abinde infra, veniet imponenda.

Rubrica, de pœna vetantis pignus alicui Correrio.

ITem, quòd quicunque vetauerit pignus alicui Correrio legitimè eunti secundum formam statutorum, puniatur in solidis viginti Imperialibus, pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit. Et teneatur ad emendationem, & restitutionem damni, damnum ex inde passo.

Rubrica, de expensis soluendis per percutientes aliquam personam.

ITem, quòd si aliquis percusserit, vel vulnerauerit aliquam personam, dictus percutiens, seu vulnerans condemnetur in expensis factis per percussum, seu vulneratum in eius cura, tam in medicis, quàm in medicinis, & quacunque alia occasione factis occasione percussionis, seu vulneris, de quibus expensis credatur medico, seu medicis, qui curassent di

ctum percussum, seu vulneratum, cum sacramento ipsius percussi, seu vulnerati.

Rubrica, de pœna offendentium Iudices, vel Procuratores.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd si qua persona, cu iuscunque status, & cõditionis existat, offenderit in persona, vel iniuriauerit verbo, facto, vel alio quouismodo, Iudices, vel Procuratores, vel aliquam aliam personam, ex eo, quòd fuerit Aduocatus, Consultus, vel Procurator, siuè arbiter, vel arbitramentator in aliqua quæstione, vel causa, puniatur in quadruplum eius, in quo alius veniret puniendus, secundum formam statutorum communis Casalis maioris.

Rubrica, de pœna capientis columbos, & tenentis stalonos super ludis.

ITem Statutum est, quòd nullus oselator, nec aliqua alia persona audeat, vel præsumat capere aliquem columbũ domesticum, vel de columbarijs, cum retibus, ludis, vel alijs instrumentis. Et quòd non possit aliquis oselator aliquem columbum mortuum, seu viuum, seu aliquẽ stalonum domesticũ super aliquo ludo ponere. Et qui contrafecerit condemnetur in libris decem Imperialibus, & medium sit accusatoris, & vlterius stet per sex menses in carceribus, & super prædictis possit procedi, & de prædictis credatur accusatori cum sacramento, & dicto vnius testis. Et quilibet possit rumpere ludos, & retia oselatorum facientium contra prædicta. Et ipsos oselatores ducere in fortiam communis Casalis maioris, de qua non relaxetur nisi prius soluerit dictam condemnationem.

Rubrica,

Rubrica, de pœna mulierum portantium panicellos abscondendo faciem.

ITem cum multæ, & infinitæ mulieres vadant per terram Casalismaioris, & per districtum eiusdem, & ad ecclesias, & ad alia loca ipsius terræ, seu eius districtus cum panicellis longis, & latis coopertæ & absconsæ, faciem earũ cooperientes taliter, quòd cognosci non possunt, & prætextu talis honestatis interdum illicita, & inhonesta committuntur. Statutum est, ad obuiandum talibus, quòd nulla mulier, cuiuscunque conditionis existat, audeat portare in dicta terra Casalismaioris, & per terram ipsam, seu in aliquibus, seu aliqua ex villis, & terris districtus eiusdem terræ Casalismaioris, huiusmodi panicellos in capite, abscondendo, & tegendo faciem, sed ire debeat aperta, & discoperta fronte, sine ipsis panicellis, sic quòd possit cognosci. ¶ Saluo, quòd liceat cuilibet mulieri posse portare panicellos prædictos in capite tempore pluuiali tantum, tenendo semper faciem detectam vtsupra. Et qualibet contrafaciens condemnetur in solidis decem Imperialibus pro qualibet vice, sine aliqua detractione, seu remissione, & in amissione panicelli. Et quilibet possit talibus mulieribus sic euntibus contra formam prædictam vtsupra, impunè accipere panicellos, & lucrari. Et de prædictis Commilito Domini Potestatis Casalismaioris teneatur, & debeat circare, & inquirere per ipsam terram Casalismaioris, & eius districtus, & inuentionibus credatur.

Rubrica,

[]

Rubrica, de pœna Spoliantis.

SI qua perſona, commune, collegium, vel vniuerſitas cuiuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatus exiſtat, amodo ſpoliauerit, vel ſpoliari fecerit aliquam perſonam ſecularem, eccleſiaſticam, uel ſingularem, commune, collegium, vel vniuerſitatem aliqua eius poſſeſſione, vel quaſi rei immobilis, vel de fructibus decimæ, vel de iure decimarum, vel de alia quacunque re immobili, puniatur, & condemnetur in libris quinquaginta Imperialibus pro quolibet eorum, & qualibet vice. Et nihilominus teneatur, ſeu teneantur reſtituere poſſeſſionem, vel quaſi cum fructibus ſpoliato. Et inſuper condemnetur, quòd nó debeat ſpoliare. Et ſuper hoc compellatur præſtare ſatiſdationem omnibus iuris remedijs. ¶ Quicunque ſpoliatus reſtituatur in ea poſſeſſione, vel quaſi, & in ea detentatione, in qua erat tempore ſpoliationis ſummariè, ſine ſtrepitu, & figura iudicij.

Rubrica, de pœna turbantis.

SI qua uniuerſitas, commune, uel ſingularis perſona cuiuſcunque conditionis, ſtatus, & dignitatis exiſtat, iniuſtè turbauerit, uel moleſtauerit, vel inquietauerit, ſeu turbari, ſeu moleſtari, uel inquietari fecerit aliquem, uel aliquam perſonam Eccleſiaſticam, uel ſecularem, collegiũ, vel vniuerſitatem, vel aliquem de familia, ſeu aliquem laboratorem, mezadrum, colonum, fictalitium, vel inquilinum prædictorum in aliqua eius poſſeſſione, vel detentatione, vel quaſi rei immobilis, vel iuris inhærentis alicui rei immobili, vel fructibus decimæ, vel iuris decimarum, vel in quacunque re immobili, vel poſſeſſione alicuius ex prædictis mole-

moleſtauerit, vel turbauerit, puniatur, & condemnetur in libris decem Imperialibus, pro quolibet eorum. Et nihilominus teneatur, & debeat committẽs dimittere turbatum, moleſtatum, vel inquietatum, in pacifica eius poſſeſsione, vel detentione, vel quaſi. Et inſuper condemnetur, quòd in futurum non debeat ipſum moleſtare, turbare, vel inquietare.

Rubrica, de Inueſtituris, & quòd inueſtiens ponatur in poſſeſsione, facta electione, vel finito termino inueſtituræ.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliquis inueſtitus, vel inueſtiẽdus de cætero de aliqua re, ceſſauerit in ſolutione ficti per tantum tempus, quòd electio de iure poſsit fieri, & facta fuerit, quæ electio, & reuocatio ad ſe poſsit fieri etiam parte abſente, vel ſi tempus inueſtituræ fiendæ, vel quæ hodie duret, fuerit finitum, in futurum quòd talis inueſtiens, vel qui in futurum inueſtiet, & eorum, & cuiuſque eorum hæredes, & habentes cauſam ab eis inducantur in poſſeſsionem prædictæ rei penes quemcunque fuerit poſſeſsio, ſeu detentatio talis rei, ſine aliquo libello, vel petitione ſolemni, dum tamen prius conſtet quod talis inueſtiens, & qui talem inueſtituram fecit, vel faciet, tenuerit, uel poſſederit tẽpore inueſtituræ, uel quòd inueſtitus fuerit in poſſeſsione, uel detentione talis rei, de qua facta fuerit, uel fiet inueſtitura, poſt ipſam inueſtituram, omni iure ſaluo poſſeſſori, & detentatori in re, & ad rem contra illum, qui inductus fuerit in poſſeſsionem. Et quòd in caſibus prædictis, & quolibet prędictorũ, ille cui fuerit res ſic euicta, habeat regreſsũ contra ſuos datores, fideiuſſores, mandatores, & interceſſores; & eorum, & cuiuſque eorum hæredes, & pignorum poſſeſſores, ac ſi legitimè eſſet euicta, ſummariè, & ſine aliquo banno, libello, uel petitione ſolẽni, dum tamen ſemel tempore

pore congruo facta fuerit denuntia suis datoribus, & bona talium sint obligata, ac si legitime facta fuerit euictio.

Rubrica, de pœna Inquilini, vel Coloni prodentis, &c.

ITem Statutum est, quòd si inquilinus, vel colonus prodiderit, vel interuerterit possessionem domus, vel rei sibi locatæ, vel elapso tempore conductionis possessionem liberam relaxare recusauerit, vel locatori nō restituerit, vel quocunque modo non restituerit locatori rem locatam finito tempore locationis, prius eo interpellato vel monito per locatorem, vel parte Domini Potestatis Casalis maioris vt eam restituat, puniatur in libris decem Imperialibus, quarum medietas sit Cameræ Ducalis, & altera medietas accusantis. Et nihilominus locator ponatur in possessione, & detentatione penes quemcunque fuerit ipsa res sine aliqua petitione, dum tamen prius probetur, quòd locator possidebat tempore locationis, vel quòd conductor fuerit in detentatione rei locatæ post locationem. Et idem in omnibus intelligatur contra precario possidentes rem ab aliquo, seu detinentes.

Rubrica, quòd alienationes, & obligationes, contractus, & distractus facti, & facta occasione ludi sint inanes.

OMnes obligationes, & alienationes, & pignerationes, contractus, & distractus, factæ, & facti occasione azardi, vel bischatiæ, ipso iure sint inanes, & sine effectu, & præsumantur esse factæ, & facti occasione bischatiæ, vel ludi azardi, si famosos præstator bischatiæ eas receperit per se, vel submissam personam, & ille qui eam fecerit, famosus lusor fuerit.

Rubrica,

Rubrica, de pœna conducentis rem à duobus, vel inueſtituram recipientis.

ITem Statutum eſt, quod ſi aliquis acceperit in alocationem rem aliquam ab aliquo, & ipſam rem poſtea conduxerit, vel in alocationem conduxerit ab alio, inſciente primo locatore, puniatur in libris vigintiquinque Imperialibus. Et nihilominus primus locator intelligatur poſſidere, & ſibi res liberè reſtituatur Iuſdicentis officio, & abſque lite. Et eodem modo fiat, ſi conductor finito termino locationis non reſtituat rem liberè locanti, dato quod à ſecundo non conduxerit, vel ſi colonus, vel inquilinus prodiderit, vel interuerterit poſſeſſionem domus, vel rei ſibi locatę, dum tamen in caſibus prędictis, vel aliquo prędictorũ probetur locatorem poſſediſſe tempore locationis, vel poſt locationem conductorem ſtetiſſe in detentatione rei locatæ. Et ſi poſſeſſio, vel detentatio in quacunque caſu penes conductorem non reperiatur, ſed penes tertium quocunq; modo, locator ponatur in poſſeſſione per Iuſdicentem viſo inſtrumento locationis, vel per teſtes probata locatione, dummodo conſtet, quòd locator poſſidebat tempore locationis, vel quòd conductor fuerit in detentatione rei locatę poſt locationem, breuiter, & ſummatim, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & ſine aliqua petitione. Et quæ dicta ſunt de conducentibus, habeant locum in inueſtituram à duobus recipientibus inſolidum, niſi per eos præſentes fieret prædicta inueſtitura, vel alterum inueſtientem ſuo nomine, & nomine alterius, & etiam eandem rem à duobus precarijs nomine recipientibus, vt in inueſtituris dictum eſt ſuperius.

Rubrica, de pœna alienantis rem duobus.

ITem cum multi reperiantur bona sua alienasse duobus, quòd non est iuri consonum, neque bonum, neq; conueniens; Idcircò statutum est, quòd quicunque alienauerit duobus rem aliquam immobilem, & dato quòd rem non tradiderit, puniatur in libris quinquaginta Imperialibus. Si verò locauerit vni rem immobilem insolidum, & deinde alteri durante tempore locationis primæ pro ipso tempore, vel pro parte ipsius temporis locauerit rem immobilem eandem, puniatur in libris decem Imperialibus, nisi hoc fecerit de consensu, & voluntate primi conducentis.

Rubrica, de pœna cedentium iura alicui debito soluto.

ITem Statutum est, quòd si aliquis principalis creditor cesserit iura alicui personæ de debito soluto, vel de quo factæ fuerint fines, vel pactum de non petẽdo per eum, ipso iure talis cessio sit nullius momẽti, & puniatur qui cesserit in libris quinquaginta Imperialibus, & restituat illud de quo cessionem fecerit. ¶Idem seruetur in his, qui principaliter iura cesserint hinc retro alicui de debito, quod reperiatur solutum, vel de quo sint fines factæ, vel pactum factum de non petendo, & quilibet tales accusare possit, & habeat medietatem dictæ pœnæ. Et si aliquis vtatur aliquo instrumento debiti, quòd sit solutum, puniatur in libris decẽ Imperialibus. Et hoc locum habeat in præsentibus, præteritis, & futuris. ¶Eadem pœna puniatur cedens, qui postea liberauerit per liberationem, quæ præiudicaret ei, cui cessa essent iura.

Rubrica,


Rubrica, de pœna alienantis rem, quàm postea alienationem detineat, vel eius fructus percipiat.

ITem cum per statutum Casalismaioris, creditores nimiū veniant grauati in eo, quòd creditores debitores suos non possint detinere, si volunt satisfacere de bonis suis; Et inde ipsi debitores malitias maximas committant faciendo venditiones, & alienationes bonorum suorum in alias personas, & postea offerētes creditoribus bona sterilia, & campestria. Idcircò ad obuiandum eorum malitijs. Statutum est, quòd si reperiatur debitorem fecisse, vel fieri facere venditionem, donationem, alienationem in quācunque personā de aliqua re, cuius ipse alienās post alienationem fructus percipiat palàm, vel occultè, talis persona condemnetur in libris vigintiquinque Imperialibus. Et nihilominus contractus intelligatur esse simulatus.

Rubrica, quòd non reddatur ius non subiectis intrantibus, vel occupantibus sua auctoritate bona subditorum.

ITem cum multæ personæ sint, quæ non sint subiectæ iurisdictioni Domini Potestatis Casalismaioris, quæ non volūt cognoscere statuta, leges, nec ordines communis Casalismaioris, sed eas, & ea potius spernunt, & offendunt faciendo iniurias, vel offensas personis subiectis iurisdictioni antedictæ, ipsorum subditorum res, bona, & iura occupantes, & indebitè tenentes; Idcircò statutum, & ordinatum est, quòd si quis non subiectus iurisdictioni antedictę occupauerit, intrauerit, detinuerit, vel turbauerit, vel occupare, apprehendere, turbare, vel detinere ausus fuerit, sua auctoritate per se, vel alium, bona, res, vel possessiones, vel iura, vel quasi alicuius subiecti dictæ iurisdictioni, vel aliquem sub-

iectum in possessione, vel quasi alicuius suæ rei, vel iuris, q̃ tali non subiecto committenti prædicta, vel aliquod prædictorum non reddatur ius, & non possit gaudere beneficio statutorum communis Casalismaioris. Et si contigerit aliquam quæstionem esse, vel oriri inter aliquam personam subiectam iurisdictioni prædictæ, & personam non subiectam, & illa persona non subiecta trahere velit quęstionem extra terram Casalismaioris, quæ posset cognosci, & quę veniret cognoscenda, & terminanda in terra Casalismaioris, & nollet eam cognosci, et terminari per Dominum Potestatem Casalismaioris, vel si Dominus Potestas nollet cognoscere, quòd tunc talis subiectus, cui quæstio, lis, siuè contentio moueretur, seu contra quem committeretur aliquod de prædictis, possit se impunè defendere, & manutenere super re, bonis, possessionibus, vel iure suo, vel suis, contra prædictum non subiectum recusantem prædicta committere, & volentem prædicta. Et quòd Dominus Potestas Casalismaioris præsens, & futurus, cum primò fuerit requisitus teneatur, et debeat manu militari eum defendere, & manutenere in sua re possessione, vel quasi, & in omni suo iure, & familiam dare ad defensionem, ob defensionem iuris talis subiecti.



RVBRICA, QVOD ACCVSATI, vel denunciati pro damnis datis, debeant admoneri.





RIMO Statutum est, quòd omnes denũciati, inquisiti, vel accusati de damnis datis, debeant admoneri personaliter, vel ad domum habitationis eorum ad tertiam diem, tam stantes in terra Casalismaioris, quàm in eius iurisdictione, per bullettam admonitionis in scriptis. Quæ admonitio fieri non possit, nisi prius accusa, seu inquisitio fuerit in actis scripta, & aliter facta non valeat. Saluo, quòd si dicti accusati, denunciati, & inquisiti non habitarent in dicta terra Casalismaioris, vel eius districtu, quòd tùnc sufficiat eos admoneri ad sex dies per Correrium, per bullettam admonitionis in platea Casalismaioris, aut eius foro in scriptis vt supra; & quòd accusator teneatur, & debeat facere admoneri accusatum, seu accusatos infra decem dies à tempore datæ accusæ, quod si non fecerit, non possit amplius procedi super dicta accusa. Et prædicta etiam locum habeant in accusis pendentibus, & factis ad dictum officiũ occasione dãnorũ in territorio Casalismaioris, vel eius iurisdictionis, vbi accusati nõ sint citati, videlicet, ꝙ citari, & admoneri debeant vt supra, infra scilicet decem dies à die publicationis præsen

tis Statuti, quòd si factum non fuerit, non procedatur vt supra.

Rubrica, de pœna dantium damnum.

ITem Statutum est, quòd si aliqua persona cuiuscunque status existat, intrauerit, vel aliquod damnum dederit, sine bestijs in aliquibus terris, bladis, leguminibus, & minutis, vineis, arboribus, leguminibus, stropellis ligatorijs, pratis, nemoribus, glareis, aquis, vel pischerijs, vel in terris in quibus prædicta sint, vel aliquod prædictorum, vel in aliquibus iuribus, iurisdictionibus, vel rebus, contra, & præter voluntatem, & scientiam dominorum, possessorum, detentatorum, vel laboratorum terrarum, & aliorum suprascriptorum, cõdemnetur pro sua persona, pro quolibet, & qualibet vice, in solidis quinque Imperialibus, dandis, & soluendis communi Casalis maioris in pecunia numerata tãtum. Et vltra hoc teneatur emendare damnum Domino, vel possessori, seu laboratori, vel detentatori vsque ad quantitatem solidorum quinque sine sacramento, & cum sacramẽto vsque ad quantitatem solidorum decem Imperialiũ. Quod quidem sacramentum fieri possit tam in accusa, quã in quacunque alia parte processus, etiam parte absente, & non citata. Et si dominus, vel possessor, seu detentator, vel laborator terræ dicere voluerit damnum suum esse vltra quantitatem solidorum decem Imperialium, tũc debeat illud damnum probare per vnum testem iuratum, cum sacramento ipsius vtsupra, vsque ad quantitatem solidorum quadraginta Imperialium. Si verò dictus dominus, possessor, vel laborator, seu detẽtator terrę, dicere voluerit dictum suum damnum excedere quantitatem prędictam dictorum solidorum quadraginta Imperialium, tunc teneatur, & debeat illud damnum probare per duos testes omni exceptione maiores iuratos, vel per alias legitimas probationes.

¶Saluo,

¶Saluo, quòd pœna ſolidorum uiginti Imperialium imponatur cuilibet piſcanti in aquis, vel piſcherijs, niſi hoc fuerit cum uoluntate, & conſenſu dominorum, poſſeſſorũ, vel detentatorum ipſarum piſcheriarum, ſeu aquarum, de qua uoluntate appareat pro vt infra. Et nihilominus teneatur ad emendationem damni, de quo credatur vt ſupra.

¶Si quis autem damnum dederit, vel iuerit cum bobus, & alijs animalibus infraſcriptis in ꝑdictis terris & ſupraſcriptis omnibus, vel aliquo prædictorum, ſiuè infraſcriptæ beſtiæ, vel animalia alicuius perſonæ damnum dederint, uel intrauerint in prædictis terris, & ſupraſcriptis, uel aliquo prædictorum, condemnetur communi Caſaliſmaioris pro quolibet boue, uacha, manzio, manzia, equo, equa, aſino, aſina, mullo, mulla, porcho, porcha, & pro qualibet alia beſtia groſſa in ſolidis duobus Imperialibus, pro quolibet, & qualibet uice. Et ſoluat pro quolibet caſtrono, pecude, montono, agnello, vel agnella Imperiales ſex pro quolibet, & qualibet uice, & pro qualibet capra, & quolibet becho Imperiales duodecim, pro quolibet, & qualibet uice, & ad emendationem damni, & credatur de prædictis, & de damno cum ſacramento in omnibus, & per òmnia, uti ſuperius in alijs capitulis eſt comprehenſum in præſenti ſtatuto. Et in prædictis omnibus caſibus, facta probatione ſecundum diſpoſitionem præſentis ſtatuti, officialis deputatus ad officium clauſorum debeat compellere accuſatos ad emendationem damni modo prædicto, & ad ſoluendum pœnas prædictas. Et credatur Maſſario, uel poſſeſſori, ſeu accuſatori de damno, & poſſeſſione rei, in qua damnum datum eſt, abſque aliqua probatione, & remota omni exceptione. Et ſi talis accuſatus, denuntiatus, uel inquiſitus dicere uelit ſe intraſſe prædicta, de uoluntate, & conſenſu Domini, uel poſſeſſoris, detentatoris, uel laboratoris, hoc probare poſſit, dummodo de tali uoluntate, & conſenſu conſtet in actis per ſacramen-

tum dicti Domini, uel possessoris, detẽtatoris, uel laboratoris, quandocunq; ante condemnationem factã. Et si alia animalia intrauerint, & damnum dederint in domibus, ortis, areis, vineis, & terris, Dominus dictorũ animaliũ teneatur ad emendationem damni, de quo credatur sacramento dãnũ passi. Et si quis intrauerit sine bestijs aliquas stipulas, culturas non seminatas, sgruzias, vel aliã cãpaneam sterilẽ, siuè pascuũ contra voluntatem vt supra, condemnetur pro eius persona in denarijs duodecim, pro quolibet, & qualibet vice, & si cum bestijs, condemnetur communi prædicto in denarijs duodecim, pro qualibet bestia grossa, & pro quolibet porcho, aut porcha, & ad emendationem dãni, de quo damno credatur vt supra, pro alijs verò bestijs, & animalibus minutis, in denarijs tribus, pro qualibet bestia, seu animali, & ad emendationem damni, de quo credatur vt supra. Saluo, quòd si denuntiatus, accusatus, vel inquisitus probauerit per testes omni exceptione maiores, se vel aliam tertiam personam possidere rem, in qua fuerit accusatus, denunciatus, vel inquisitus, quòd talis probatio præualeat alteri præsumptę probationi ipsius denuntiatoris, vel accusatoris.

Rubrica, quòd principalis comparere debeat ad iurandum accusam esse veram, si per partem fuerit petitum.

ITem statutũ est, ꝙ si contingat aliquem accusari per procuratorem alicuius, possit talis accusatus petere, ꝙ principalis veniat personaliter ad iurandũ accusam, nomine eius factam, esse veram, infra quinque dies à die pręcepti facti dicto procuratori per officialem, vel eius parte. Et si petitum fuerit, & iuratum non fuerit vt supra, non possit super dicta accusa procedi. Saluo, quòd si principalis fuerit mulier, officialis teneatur ire, vel mittere vnum ex notarijs suis ad do-

mum

mum habitationis dictæ mulieris ad deferendum, & sacramentum prædictum recipiendum. Et saluo, quòd si dictus principalis foret absens, quòd dictus Potestas, vel officialis possit dictum terminum dictorum dierum quinque ad iurandum, ac causam prorogari, prout viderit conueniri.

Rubrica, infra quantum tempus fieri possit accusa ad officium damnorum.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona, quæ voluerit accusare aliquam personam, vel bestias sibi dedisse damnum coram officiale damnorum, teneatur, & debeat accusare infra octo dies computandos à die damni sibi dati. Et quod liceat accusatori, & sufficiat ei dicere in accusatione, sibi esse damnum datum infra octo dies prædictos, cui credatur absque eo, quòd ponatur dies, & nomen diei determinatè. Et quòd dicti octo dies currant à die qua sciuerit, per quẽ, seu quos damnum datum fuerit, de qua scientia credatur sacramento accusatoris, & damnum passi, & vltra dictum tẽpus non audiatur per dictum officialem, quodquidem sacramentum fieri possit in dicta accusa etiam parte absente, & incitata. Et quòd dicti octo dies statuti ad accusandum dantes damnum, non currant, nec cucurrisse intelligantur in ferijs Natiuitatis, & Paschatis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.

Rubrica, de pœnis duplicandis contra dantes damnum de nocte.

ITem Statutum est, quòd si aliqua persona accusata fuerit per se, vel per bestias suas, vel animalia sua dedisse damnum de nocte, quòd omnes pœnæ comprehensæ in statutis clausorum, sint, & esse debeant duplices quantum ad commune, & credatur Domino, vel possessori, seu accusanti, de damno

damno dato de nocte sacramento accusatoris, quod sacramentum fieri possit, vt in alijs suprascriptis statutis continetur. Saluo, quòd si persona dans damnum de nocte inuenta fuerit per Dominum, vel possessorem, vel laboratorem rei, vel per aliquem de eius familia, in qua re damnum datur, vel per camparium, seu custodem dare damnum, de qua inuentione credatur, & credi debeat sacramento Domini, vel possessoris, vel laboratoris rei, vel alicuius de sua familia, vel sacramento camparij, quòd dictus accusatus sic inuentus condemnetur in solidis centum Imperialibus communi, vltra pœnam in statutis clausorum contentam, dummodò de dicto damno dato de nocte constet, vel per facti euidentiam, vel per alias legitimas probationes.

Rubrica, de accusis falsis, & calumniosis.

ITem Statutum est, quòd si aliqua persona inuenta fuerit legitimè fecisse falsam accusam, vel calumniosam, officialis prædictus clausorum possit, & debeat, & teneatur talem accusatorem condemnare qualibet vice in solidis centum Imperialibus. Et quòd dicta accusatio intelligatur esse calumniosa, si probetur de voce, & fama, quòd accusator voluerit facere tributare accusatum, vel appellauerit eum de aliquo sibi dando, nisi ratione damni sui, vel si probetur saltem per vnum testem, & cum iuramento accusati, quòd ipse accusator eidem accusato minatus fuerit de accusando eum, nisi sibi tributauerit, vel quicquàm det, nisi hoc petierit dari ratione damni sui, vel aliter probetur dictam accusam esse calumniosam, vel si per facti euidentiam appareat, vel apparere posit damnum non esse datum, quòd dicta accusa intelligatur esse calumniosa, dum tamen hoc locum nō habeat in vineis, pratis, hortis, nec in brolis, nec in aquis, seu pischerijs. Et quòd officialis damnorum datorum ad requisitionem

quisitionem accusati, & eius expensis teneatur ire, seu mittere personam idoneam, cuius relationi credatur cum sacramento, ad videndum si damnum appareat fore datum, vel non, infra tertiam diem, ex quo dictus officialis fuerit requisitus, sub pœna librarum decem de suo salario. Et quòd prędicti sic accusati, & denuntiati teneantur, & debeat hoc opponere, seu petere infra tempus admonitionis eorum, & aliter dictæ accusæ non intelligantur calumniosæ, nec super eis procedi ad instantiam alicuius accusati, seu denuntiati possit.

Rubrica, de pœna dantis dammum, vel intrantis in hortis, brolis, & vineis.

ITem Statutum est, quòd nullus audeat, vel præsumat intrare de die, neque de nocte contra voluntatem alicuius habitantis in terra, vel in districtu Casalismaioris, aliquem brolum, hortum, seu vineam positam in burgis, vel districtu dictæ terrę, nec in eis aliquod damnum facere, vel dare, sub pœna solidorum quadraginta Imperialium pro quolibet, & qualibet vice, & teneatur in carceribus donec soluerit, cuius pœnæ medietas sit communis, & alia medietas sit accusantis. Et quilibet possit accusare, & credatur ei cum sacramento.

Rubrica, quòd Dominus teneatur pro famulis in damnis datis.

ITem Statutum est, quòd si aliquis famulus, vel famula alicuius personæ dederit damnum contra formam Statutorum clausorum, quòd Dominus, seu Domina cum quibus starent tempore damni dati, teneantur ad pœnas dictorum statutorum, ac si dictum damnum dedissent, nisi designauerint coram officiale clausorum, personam quæ dedisset

ſet damnum, & idem intelligatur de filio, & filia, quòd teneatur pro eis pater, ſi ſtent ſecum ad panem, & vinum. Et ſaluo, quòd Dominus, & Domina habeant regreſſum contra famulum ſuum, & famulā, & ſibi poſſint de ſalario ſuo, & mercede detrahere, & detinere tantum quantum ſoluerint pro dicto famulo, ſeu famula.

Rubrica, quòd quilibet requiſitus debeat dicere nomen, & de pœna mutantium ſibi nomen.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliqua perſona, vel cuſtodes damnorum inuenerint aliquam perſonam dantem damnum, tam cum perſona, quàm cum beſtijs, teneatur ad requiſitionem dicti cuſtodis, vel illius, qui inuenerit ſibi dare damnum, & cuiuslibet de eius familia, dicere nomē ſuū, & dicere nomen illius, cuius ſint dictę beſtię, & viciniā in qua habitant, ſub pœna ſolidorum decē Imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et ſi mutauerit ſibi nomen, vel pronomen, vel viciniam, ſoluat pro banno ſolidos viginti Imperiales, & quilibet poſſit accuſare, & habeat medietatem pœnæ, & credatur accuſatori cum ſacramento, & de celatione, & mutatione nominis. Et licitum ſit inuentori retinere penes ſe, & accipere de dictis beſtijs, donec fuerit ſibi ſatisfactum de dicto ſuo damno, ſine aliqua licentia alicuius officialis. Et quòd perſona, quæ acceperit, vel retinuerit aliquā de dictis beſtijs, debeat dictas beſtias præſentare infra ſecundum diem dicto officiali, aliter dictus capiens incurrat pœnam librarum decem Imperialium, pro qualibet beſtia, & qualibet vice. Et nihilominus teneatur ad reſtitutionem beſtiarum, vel eſtimationem earundem, de qua eſtimatione credatur ſacramento illius, cuius fuerint, ſeu fuerit tales beſtiæ, ſeu beſtia. Et idem intelligatur, ſi aliquæ beſtiæ fuerint inuentæ intraſſe ſine cuſtodia aliquos agros, vel prata, quo

caſu

casu Dominus, vel possessor, vel laborator possit impunè accipere dictas bestias, ipso eas designante vtsupra, quod si non fecerit, puniatur pœna suprascripta.

Rubrica, de satisdatione præstanda per non subditos habentes bestias.

ITem Statutum est, quòd omnes personæ non subiectę iurisdictioni communis Casalismaioris habentes bestias, quæ vadant ad pasculandum, teneantur, & debeant dare, seu facere dari coram officiale clausorũ Casalismaioris bonam, & idoneam securitatem, quòd dictæ bestiæ, & eorum famuli non dabunt damnum alicui personæ, & si dederint, de emendando dicta damna passo, & de soluendo pœnam, & bannum secundum formam suprascriptorum statutorum, & infrascriptorum, quam satisdationem si facere recusauerint infra tertiam diem, ex quo fuerint requisiti ex parte Domini Officialis, non teneatur, nec debeat ipse Officialis aliquas eorum defensiones recipere, nec aliquam rationem ipsis, vel alijs pro eis facere de aliquibus damnis datis eisdem, de aliquibus suis iuribus, & rebus; & custos, seu famulus talium personarum teneatur in totum ad pœnas cõprehensas in omnibus & singulis suprascriptis, & infrascriptis statutis. Et quælibet persona possit dictas bestias impunè offendere, si prædicta facere recusent. Et si contingat quàmplures personas in simul habuisse in vno, & eodem loco in communitate, & societate vnam malgam de suprascriptis bestijs superius specificatis, & habere custodes, & famulos, qui ipsas custodiant, quòd sufficiat, & sufficere debeat, quòd vnus ipsorum sociorũ pro se, & socijs, & famulis suis satisdederit, & præstauerit securitatem, ac fideiussionem de dicta malga, prout in dictis statutis continetur. Et quòd alij socij, & custodes, & famuli non possint compelli casu prędicto

cto ad faciendum aliquam ſatiſdationem. Et quòd notarij officij clauſorum habere debeant ſolidos duos Imperiales tantum,& non vltra, pro dicta ſatiſdatione, ſeu fideiuſsione. Et quòd ſi aliquis ex prædictis fuerit accuſatus de damno dato,& fuerit abſens à terra, & à diſtrictu Caſaliſmaioris,& ſecuritatem fecerit vt ſupra,quòd tunc,& eo caſu fideiuſſor talis accuſati citari debeat eo modo,& forma,quo citari deberet talis accuſatus, ſi præſens eſſet, ſecundum formam præſentis ſtatuti.

Rubrica, de arboribus, & ceſis, & fratis incidendis.

ITem Statutum eſt, quòd omnes perſonæ habentes arbores non portantes fructus de ſui natura ex eis naſcentes comeſtibiles ab hominibus, verſus meridiem, & mane, & fratas,ſeu ceſas altiores tribus brachijs in terra, vel diſtrictu Caſaliſmaioris, teneantur, & debeant infra octo dies à die præcepti eis facti ex parte Domini officialis clauſorum incidere,ſeu incidi facere eas arbores poſitas inter ſe, & vicinũ ſuum tantum,tam ſuper ſtratis, quàm ſuper ripis foſſatorũ, pœna,& banno cuilibet contrafacienti,& qualibet vice, ſolidorum quinque Imperialium. Et nihilominus teneantur dictas arbores, ſeu fratas incidere, ſeu incidi facere. Et dictus Officialis teneatur,& debeat facere fieri dictum præceptum ad petitionem cuiuslibet inquirentis infra tertiam diem. Et ſi quis etiam habuerit arbores portantes fructus inter ſe,& aliquem ſuum vicinum, quæ arbores pendeant ſuper ſolum,ſeu terram dicti ſui vicini, quòd ille talis habens dictas arbores,teneatur, & debeat infra tertiam diem à tempore requiſitionis,& præcepti ſibi facti de prædictis, incidere, ſeu incidi facere omnes ramos dictarum arborum pendẽtium ſuper ſolo, ſeu ſuper terra dicti ſui vicini, ſub pœna prædicta, tam in terra, quàm in diſtrictu Caſaliſmaioris.

Rubrica,

Rubrica, de pœna conducentis bestias per viam vicinalem.

ITem Statutum est, quòd aliqua persona non possit, nec debeat, neque audeat ire, nec conducere aliquam bestiã grossam, vel minutam, per aliquam viazolam vicinalem, quæ sit vicinorum habentium campos, & terras, & quæ nõ sit via publica, vel communis, & qui contrafecerit, soluat pro banno communi Casalismaioris pro eius persona solidos quinque Imperiales, & pro qualibet bestia grossa, solidos duos Imperiales, & pro qualibet bestia minuta, Imperiales sex. Et pro quolibet porcho, & porcha, Imperiales duodecim. Et nihilominus soluat damnum passo secũdum formam statutorum clausorum. Et quilibet habens terras, quibus seruit viazola prædicta, possit accusare tales contrafaciẽtes, & credatur accusatori in probatione prædictorum secundum formam statutorum prædictorum.

Rubrica, de solutione Notarij officij damnorum.

ITem Statutum est, quòd aliquis Notarius dicti officij nõ possit accipere ab aliquo accusatore de qualibet accusa, cum monitione, & relatione, vltra solidos duos, & de qualibet responsione, & de securitate cuiuslibet accusati tantundem, & de remissione cuiuslibet accusæ denarios duodecim. Et si Notarius acciperet vltra quantitatem superius limitatam, cõdemnetur in solidis quinque Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice. Et de prædictis credatur illi, cui accepisset Notarius prædictus quantitatem prædictam, vltra prædicta, cum sacramento suo. Et intelligatur vna accusa tantum, si de vno damno facta fuerit accusa de pluribus bestijs, & personis.

Rubrica, de pœna dantium damnum in terris aghisatis.

ITem Statutum est, quòd nulla persona audeat, nec præsumat dare damnum aliquod cum personis, nec cum bestijs in aliquo campo aghisato, seu terra aghisata, nec in aliquo prato, nec deguastare, nec remouere aliquas ghisas de dictis terris, campis, & pratis. Et si quis contrafecerit, soluat pro banno, pro persona, & bestijs, communi Casalismaioris sicuti in statutis communis Casalismaioris superius continetur. Et quòd de prædictis campis, terris, & pratis aghisatis, & ghisarum remotione, credatur Domino, seu possessori, & suæ familiæ, & laboratori suo cum eius sacramento.

Rubrica, de mense, die, & nocte ponendis in accusis Campariorum.

ITem Statutum est, ad hoc, vt accusationes calumniosę non fiant per custodes clausorum, quòd in accusationibus per eos fiendis, debeant in ipsis ponere mensem, diem, & noctem, si de nocte fecerint inuentiones damni dati, & locum confinatum, in quo damnum datum fuerit, saltem de duobus confinibus, & aliter dictæ accusationes non valeant ipso iure.

Rubrica, de accusis in actis scribendis, antequàm monitio mittatur.

ITem Statutum est, quòd omnes accusationes, seu denuntiationes, quæ fiunt secundum formam suprascriptorũ, & infrascriptorum statutorum, poni, & scribi debeant per Notarios officij in vno libro ligato, & affoliato per numerũ cartarum ad hoc spetialiter deputato, antequàm alia admonitio mittatur prædictis sic accusatis, vel inuentis, ita quòd

possint

possint videri dictæ accusæ, & aliter non valeant, nec debeant executioni mandari. Et quòd Notarius non seruans præsens statutum, non ponendo dictas accusas in actis, teneatur ad damnum, et vltra ad pœnas solidorum decem Imperialium pro qualibet vice.

Rubrica, de palis, & maniclis non exportandis.

ITem Statutum est, quòd nullus audeat, vel præsumat intrare aliquas vineas, nec in eis aliquod damnum dare accipiendo, & exportando aliqua ligna de opio, vel palis, maniclis, & seu perticis, sub pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice, & vlterius teneatur ad emendationem damni, de quo credatur sacramento damnum passi, & quilibet possit accusare, et habeat medietatem pœnę. Saluo, quod si accusatus prędicta lignamina accepisset in aliquo suo campo, vel in quo vineas faceret, vel laboraret, quòd condemnari non possit, & talis accusa nullius sit valoris, quæ probatio fieri possit saltem per vnum testem idoneum, & iuratum. Et hoc statutum locum habeat in terra, & districtu Casalis maioris.

Rubrica, de pœna explanantis zapellos, & ducentis plaustra per campos alienos.

ITem Statutum est, quòd quilibet bubulcus, & quælibet alia persona conducens, vel conduci faciens plaustra, cariollas, vel bestias aliquas, & etiam quælibet persona iens, & rediens cum bestijs teneatur ire per stratas publicas, & consuetas; Et non audeant ire, nec transitum facere per vias, nec viazolas aliquorum, nec per campos, nec per vineas, vel prata, vel terras aliorum, nec audeant explanare zapellos aliorum. Et qui cōtrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet

 vice,

vice, in ſolidis decem Imperialibus, & ad emendationem damni,& intereſſe Domini,vel poſſeſſoris terrę, de quo dãno, & intereſſe ſtetur ſacramento Domini, vel poſſeſſoris, vt continetur in ſtatuto poſito ſub Rubrica, de pœna dãtis damnum.Et quilibet poſſit contrafacientes accuſare, & habeat medietatem pœnæ. Et quod famulus Domini,vel poſſeſſoris, & filius poſſit accuſare, ſicut Domini, vel poſſeſſores accuſare poſſunt. Si verò iuerint cum perſona tantum, condemnentur in ſolidis quinque Imperialibus tantum.Et quilibet bubulcus,& quælibet alia perſona conducens plauſtra, vel cariollas vtſupra, teneatur, & debeat ire pedeſtris per terram, & burgos Caſaliſmaioris, & tenere manum ad timonum, vel ire ante beſtias ad timonum, & non ſuper plauſtra,& cariollas aſcendere,ſub pœna ſolidorum quinq; pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de beſtijs non ſubiectis detinendis.

ITem Statutum eſt,quòd cum multæ perſonæ iuriſdictioni communis Caſaliſmaioris non ſuppoſitæ, reperiantur habere beſtias,et damnum dare in terris,& poſſeſſionibus habitantium in terra, & diſtrictu Caſaliſmaioris, & ſe excuſent à iuriſdictione prædicta, quòd ſi inuẽtæ fuerint beſtiæ dictarum perſonarum dantes damnum alicui perſonæ per cuſtodes clauſorum,& fuerint accuſatæ,& denunciatæ,quas aliqua perſona velit defendere,& euitare iudicium ſeculare, quòd cuſtodes beſtiarum detineri, & puniri, atque compelli debeant per officialem clauſorum ad ſolutionem pœnæ,& ad emendationem damni. Et quòd ſi dictæ beſtiæ non haberent cuſtodem, quòd licitum ſit Domino, vel poſſeſſori,vel laboratori,ipſas beſtias capere, & detinere donec fuerit ſatisfactum ſibi de damno ſuo abſque licentia alicuius officialis,& liberè,& impunè. Et quòd eiſdem perſonis

ſonis euitare volentibus iudicium officialis clauſorum non fiat ius, ſi aliquod damnum eis fieret, donec ſatisfecerint de damno dato per beſtias eorum. Et dum tamen prædicti capientes, ea die vel ſequenti notificent, vel præſentent officiali clauſorum, prout in alio capitulo ſuprapoſito loquente de poſſendo accipere beſtias, & retinere impunè.

Rubrica, de Camparijs eligendis.

ITem Statutũ eſt, quòd quęlibet Villa ex infraſcriptis uillis dictæ terræ Caſaliſmaioris, teneatur quolibet anno facere Camparios, qui cuſtodiant bladas, prata, & alia laboreria à perſonis, beſtijs, & cæteris auibus, & animalibus, tàm domeſticis, quàm ſaluaticis, & denuntient damna dantes. Qui Camparij, ſiuè cuſtodes teneantur, & debeant denuntiare prædicta ad Banchum iuris Domini Poteſtatis dictæ terræ. Qui Poteſtas debeat, & teneatur cognoſcere, uidere, & examinari facere talia damna, & data, & facta per homines, & perſonas ſuæ iuriſdictionis tantum. Et infra tertiam diem facere emendari dicta damna paſſo, ſeu paſſis, & exigere pœnas, ſecundum quòd per ſtatuta ordinatum eſt. Et quòd dicta terra Caſaliſmaioris cum uillis ſuis debeat facere dictos Camparios infra dies quinque à tempore factæ cridæ ſuper platea, ſeu foro dictæ terræ, pœna cuilibet contrafacienti ſolidorum centum Imperialium, ſi non fecerint dictos Camparios. Et quòd dicti Camparij teneantur ad emendationem damni, ſi non denuntiauerint damnũ dantes. Et non credatur alijs Camparijs, ſeu cuſtodibus electis, & eligendis per ſingulares perſonas, nec aliter procedatur, quàm in hoc ſtatuto continetur. Sed ad tollendum dubia, Statutum eſt, quòd communia infraſcripta teneantur ad dictos Camparios eligendos.

Quorum Communium, & Locorum nomina sunt hæc, videlicet.

¶Terra Casalisinaioris, cum vicinijs, & burgis suis.
¶Commune Ronchadelli.
¶Commune Casalis Bellotorum.
¶Commune quatuor Domorum.
¶Commune Staffoli.
¶Commune Vicimoschani.
¶Commune Mottæ.
¶Commune Capellæ.
¶Commune Caminatæ.
¶Commune Gambaloni.
¶Commune Riparoli intus.
¶Commune Villænouæ.
¶Commune Fossecaprariæ.

Rubrica, quòd Camparij teneantur ad emendationem damnorum.

ITem Statutum est, quòd si damnum datum fuerit alicui personæ, de quo damno credatur sacramento Domini, vel possessoris, & non reperiatur quis dederit ipsum dãnum, quòd custodes clausorum teneantur ad emendationem damni tempore ipsorum. Et si dictum damnum fuerit de nocte datum, & nõ reperiatur quis dederit dictum damnum, quòd locus super cuius curia datum fuerit dictum dãnum, teneatur ad emendationem dicti damni, de quo credatur sacramento Domini, vel possessoris, secundum formam aliorum statutorum clausorum. Et quòd Camparij, seu custodes, teneantur de damno dato in territorio suæ campariæ tantum.

Rubrica,

Rubrica, quòd credatur Camparijs.

ITem Statutum eſt, quòd credatur Camparijs, ſeu & cuſtodibus dictæ terræ, & villarum terræ Caſaliſmaioris, & eius diſtrictus, cum eorum ſacramento in accuſationibus fiendis, quemadmodum Dominis, & poſſeſſoribus terrarum, ſeu laboratoribus, dum tamen iurent dicti Camparij accuſas ſuas, quando eas deponunt.

Rubrica, de pœna ponentis ignem.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliquis poſuerit ignem in aliquam ſtipulam, arborem, vel rem, per quem ignem vicini eius, vel aliqua alia perſona damnificaretur, teneatur ad emẽdationem damni. Et credatur de impoſitione ignis, & perſonæ imponentis, & damno dato cum ſacramento damnificati, & cum vno teſte iurato, ſaluis ſemper pœnis contentis in ſtatuto de Incendijs.

Rubrica, de pœna dantis dammum in ſigna ſeni, ſtopijs, vel lignario.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliquis dederit damnum cum beſtijs, vel ſine, in aliqua ſigna ſeni, vel paleis, vel ſtopijs, cum perſona, vel cum beſtijs, cũ plauſtris, vel plauſtro, accipiendo, vel exportando fenum, vel paleas, vel ligna de lignario, vel alio loco, vel couas bladorum, vel ſtopiam, condemnari debeat in ſolidis quadraginta Imperialibus, pro qualibet vice, & ad emendationem damni, de quo credatur ſacramento damnum paſſi.

Rubrica, de pœna ſcorzantis, vel incidentis arbores fru-ctiferas, vel ab opere.

ITem Statutum eſt, quòd cum multi malitioſi appareant, qui vadunt ad ſcorzandum arbores fructiferas, ſeu eas incidendum, quod quicunque ſcorzauerit, ſeu inciderit aliquam arborem, ſi fuerit fructifera, puniatur, & condemnetur communi in ſolidis centum Imperialibus. Si verò non fuerit fructifera, & fuerit arbor groſſa ab opere, condemnetur in ſolidis viginti Imperialibus pro qualibet arbore, de cuius arboris ſcorzatura, ſeu inciſione, & damno dato, credatur ſacramento denuntiatoris, vel accuſatoris.

Rubrica, de pœna vindemiantis Vuas aliorum.

ITem Statutum aſt, quòd cum multi malitioſi appareant, qui vadunt tempore vindemiarum, & ante, de nocte ad accipiendum vuas, & ad vindemiandum vuas, & pergolos aliorum, cum ſolijs, & corbellis, quòd quilibet poſſit accuſare coram officiale clauſorum, & ſeu Poteſtate dictæ terræ Caſaliſmaioris talia committentes, & credatur accuſatori cum ſacramento, vſque ad quantitatem ſolidorum viginti Imperialium, & abinde ſupra, cum accuſatoris ſacramento, & vno teſte iurato, vſq; ad quantitatem ſolidorum quadraginta de damno dato, & à dicta quantitate ſupra, legitimis factis probationibus. Et ſi fuerit inuetus per cuſtodem, ſeu camparium, credatur ſacramento inuentoris, abſque aliqua alia probatione, & condemnetur talis delinquens in totidem communi Caſaliſmaioris.

Rubrica, quòd non subditi, accusantes non audiantur, nisi satisdederint.

ITem Statutum est, quòd officialis clausorum, seu damnorum, non audiat aliquem non subiectum Potestati, & iurisdictioni communis Casalis maioris accusantem, seu denuntiantem, nisi tempore dationis accusæ, seu denuntiationis, satisdet coram Potestate prædicto de iudicio sisti, & iudicatum soluendo, & expensis restituendis, & accusæ aliter non valeant ipso iure, & nullius sint valoris.

Rubrica, infra quantum tempus processus debeat terminari.

ITem Statutum est, quòd officialis prædictus teneatur, & debeat omnes processus, & omnes quæstiones diffinire, & terminare, condemnando, vel absoluendo secũdum formam statutorum suprascriptorum, infra dies vigintiquinque vtiles à die litis contestatæ, tacitè, vel expresse, seu à die termini relationis admonitionis computandos, & cõdemnare ad decem dies, sub pœna librarum decem Imperialium. Et nihilominus processus bene valeant.

Rubrica, quòd condemnationes non fiant pro vno, & eodem damno, nisi ex forma vnius statuti imponentis minorem pœnam.

ITem Statutum est, quòd pro vno, & eodem delicto, seu damno, officialis, seu Potestas non possit aliquem condemnare, nisi ex forma vnius statuti, & non plurium, & non nisi secundum formam illius statuti, quod imponat pro ipso delicto, seu damno minorem pœnam. Saluo, quòd si accusa remissa fuerit per accusatorem ante sententiam de

voluntate

voluntate accusati, Potestas dictę terræ, siuè officialis prędictus habeat libertatem remittendi medietatem pœnæ, & aliam medietatem soluere teneatur ipse accusatus, & vltra soluat Notario pro eius mercede solidum vnum Imperialium.

Rubrica, quòd accusator non possit accusari per accusatum, pendente causa accusationis sine licentia Iudicis, vel nisi probet per testes.

ITem Statutum est, quòd si contingat aliquam accusam fieri per aliquam personam ad dictum officium, quòd accusatus, nec aliquis de sua familia nõ possit dictum accusatorem accusare de aliquo damno, durante processu dictæ accusæ, & ei non currat aliquod tempus. Saluo si accusatus voluerit ipsam accusã probare per probationes legitimas, quòd tunc, & eo casu audiatur. Et si probauerit legitimè, procedatur ad condemnationem secundum formam Statutorum dicti officij.

¶Saluo, quòd si videbitur officiali, possit concedere licẽtiam accusandi, si ille, qui voluerit accusare, iurabit coram officiale damnum sibi datum esse; Et quòd de vno, & eodẽ damno, & vna, & eadem persona, non possit fieri nisi vna accusa tantum. Et si plures fierent, quòd non possit nisi super vna accusa tantum procedi.

Rubrica, de citatione generali fienda pro damno ad allegandum.

ITem cum multa dubia oriantur de condemnationibus fiendis ad officium, vel pro officio damnorum, quas aliqui volunt dicere nullas, pro eo, quòd nõ citantur accusati ad sententiam audiendam; Ideò ad tollẽdum talia dubia, statutum,

ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd non ſit neceſſaria aliqua citatio ſpecialis ad ſententiam audiendam. Sed Poteſtas, ſiuè officialis damnorum fieri faciat proclamationes generales in platea communis Caſaliſmaioris, quòd quilibet accuſatus, denuntiatus, vel inquiſitus, contra quem proceſſum eſt, veniat coram dicto Poteſtate, ſeu Officiale ad allegandum, ſeu allegari faciendum de iure ſuo in termino ſtatuendo per ipſum Poteſtatem, ſeu Officialem. Et elapſo dicto termino, tunc poſsit liberè dictus Poteſtas, ſeu Officialis, procedere ad ſuas ſententias, & condemnationes quacunque die, & hora voluerit, & aliter condemnatio facta non valeat.

Rubrica, de pœna dantis damnum in terris, rebus, et iuribus poſitis, & iacentibus in alieno diſtrictu.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliqua perſona habitans in terra, vel diſtrictu Caſaliſmaioris, intrauerit, vel aliquod damnum dederit cum beſtijs, vel ſine. Et ſi beſtiæ alicuius perſonæ intrauerint, & damnum dederint in aliquibus terris, bladis, vel leguminibus minutis, vineis, pratis, arborib⁹, lignis, ſtropellis ligatorijs, nemoribus, glareis, aquis, vel piſcherijs, vel in terris in quibus prædicta ſint, vel aliquod prędictorum, vel in aliquibus iuribus, iuriſdictionibus, & rebus poſitis, & iacentibus in alieno diſtrictu, quę teneantur, vel poſsideantur per aliquem ſubiectum iuriſdictioni communis Caſaliſmaioris, contra, & præter voluntatem, vel ſcientiam detentatoris, ſeu poſſeſſoris, condemnetur perinde, ac ſi poſitę eſſent, vel iacerent in diſtrictu Caſaliſmaioris, ac credatur de dominio, poſſeſsione, detentatione, & damno dato accuſatori, prout & ſicut in ſupraſcriptis ſtatutis continetur. Et omnia ſupraſcripta ſtatuta habeant locũ in accuſis, quæ fiunt pro introitu, & damno dato in prædictis, poſitis, & iacentibus pro vt ſupra.

Rubrica,

Rubrica, quòd ſacramentum fieri poßit in accuſa, & in quacunque parte proceſſus.

ITem cum in pluribus Statutis ſuper damnis datis dictũ, & ſtatutum ſit, quòd credatur ſacramento accuſatoris, ſeu denuntiatoris, Statutum, & ordinatum eſt, quòd tale ſacramentum fieri poſsit tam in accuſa, quam in quacunque parte proceſſus, etiam parte abſente, & non citata.



RUBRICA, DE OFFICIO, ET *iurisdictione Officialis Stratarum, Arzinorum, & Aquarum.*





TEM Statutũ est, quòd Officialis Stratarum, Arzinorum, & Aquarum, teneatur, & debeat singulis diebus intendere circa reaptationem viarum, stratarum, arzinorum, pontium, clauicarum, & dugalium publicorum terræ, & districtus Casalismaioris, & aliarum aquarum. Et inquirere, & rimari quæ sint vtilia, & necessaria pro prædictis. Qui Officialis possit super his, quæ ad suum officium pertinebunt, inquirere, & circare breuiter, & summatim, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, diebus feriatis, & non feriatis. Et de suis inuétionibus credatur sibi, & mulctare, & punire debeat facientes contra Statuta communis Casalismaioris, in pœnis contentis in ipsis statutis, & non vltra. Et hoc per modum condemnationum, & sententiarum ferendarum per ipsum ad banchum iuris terræ Casalismaioris, & cum consensu, & participatione Domini Potestatis dictæ terræ sono campanæ præmisso, & aliter factæ non valeant. Et habeat pro suo officio exercendo vnum ex correrijs communis prædicti, & Notarium vnum idoneum, & sufficiétem, qui Notarius scribere debeat inuentiones fiendas per dictum officialem, & aliter non valeant, nec super eis procedi possit, & dictus correrius debeat portare, & facere omnes citationes fiendas ex parte dicti officialis. Et debeat dictus officialis terminare

omnes quæſtiones,& controuerſias, quæ verteretur coram eo infra vigintiquinque dies vtiles à die litis inceptæ,& notificatæ parti, vel à die contradictionis, vel querelæ factæ parti,ſub pœna librarum decem Imperialium pro qualibet vice.Et nihilominus proceſſus bene valeat.

Rubrica, de reaptatione Stratarum, & Clauicarum Caſaliſmaioris.

ITem Statutum eſt, quòd quælibet perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat teneatur,& debeat aptare, & reficere ſtratas in terra,& burgis Caſaliſmaioris,domos, & ſedumina,quæ, & quas habent, ſeu tenent penes dictas ſtratas vſq; ad mediū dictarum ſtratarū, & mūdas,& bene aptatas manutenere ab omni luto, obſtaculo, lignamine,& lętamine, & borras dictarum ſtratarum,ſi quæ eſſent,implere de prætamine,& ſeu calcinatio, ſic quòd aquæ pluuiales libere decurrere poſſint ad dugalia, & ad clauicas, & ſtratas, & hoc ſub pœna ſolidorum quinque Imperialium pro quolibet contrafaciente,& inobediente,& qualibet vice. Et quilibet vicinus, & quælibet perſona cuius intereſt, & ad quam redundat commodum, vel incommodum ex dictis clauicis, vel dugalibus, teneatur ad manutenendum dictas clauicas, & dugalia,ſub pœna prædicta.Saluo,quòd quilibet,qui portari feciſſet aliquod lętamen, lignamen, terrenum, vel aliquod impedimentum ſuper dictis ſtratis, ſeu in dictis clauicis,& dugalibus debeat talia remouere, & aliò portari facere infra terminum competentem ſibi conſtituendum per dictum officialem,ſub pœna prędicta. Et quòd non ſit aliqua perſona cuiuſuis conditionis, & ſtatus exiſtat, quæ audeat, vel præſumat ponere, vel proijcere, nec tenere in aliquibus ſtratis terræ, & burgorū Caſaliſmaioris, nec penes muros domorum, & caſamentorum aliquarum perſonarū

in dicta terra aliquod rudum, ſpazaturas aliquas, fecias, terratium, vel aliquod vituperium, ſub pœna prædicta, & vltra teneatur ad remouendum, & aliò conducendum prædicta ad terminum per dictum officialem ſtatuendum ſub pœna prædicta.

Rubrica, de reaptatione Dugalium terræ, & burgorum Caſaliſmaioris.

ITem ad hoc vt aquæ pluuiales more ſolito decurrere poſſint, & ne domus, ſedumina, & ſtratæ propter ipſas pluuias ſuffocentur, Statutum eſt, quòd omnia dugalia, & foſſata ſcolatoria terræ Caſaliſmaioris, & burgorum, cauẽtur, mondẽtur, ac expediãtur ab omni impedimẽto, & terreno per tenentes, ſeu habentes terrena, & ſedumina penes dicta dugalia, & foſſata eorum expenſis, & decurſum liberum habeant; Et omnes cluſas, & omnia impedimenta deuetantes, & deuetantia dicta dugalia, & foſſata decurrere per loca antiqua, teneatur quilibet qui eas, vel ea feciſſet, vel fieri feciſſet, remouere, vel remoueri facere ſuis expẽſis, & custis, ſub pœna prædicta pro quolibet, & qualibet vice. Et nihilominus teneatur dicta obſtacula remouere.

Rubrica, de vijs vicinalibus, & Stratis reaptandis.

ITem Statutum eſt, quòd cum multæ viæ, & viazolæ, tam in terra, & burgis, quàm in diſtrictu Caſaliſmaioris ſint clauſæ, & aſtrictæ, quòd quilibet qui aliquam viam, & viazolam per quàm ſolitum eſt iri antiquitus, vel à quinquaginta annis citra, in terra, burgis, vel diſtrictu prędictis, clauſam, vel occupatam detinuerit, vel occupauerit, aſtrinxerit, vel laborauerit, vel in ſuum campum reduxerit, teneatur, & debeat tales vias, & viazolas reduxiſſe ad priſtinum ſtatum,

& reficere, & reaptare, & ab vtraque parte ipsius facere, & cauare fossata ipsius viæ infra dies quindecim à die præcepti facti, vel cridæ factæ ex parte dicti officialis, sub pœna solidorum centum Imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et nihilominus prædicta facere teneatur. Et ad probationem prædictorum sufficiant duo testes, qui deponant dictã viã in formam viæ vidisse, & per eam iri. Et etiam sufficiat vnus testis cum publica voce, & fama. Et etiam sufficiant instrumenta facta à viginti annis retro, in quibus fiat mentio de ipsa via. Et etiam sufficiat publica vox, & fama cum aliquo indicio, & præsumptione. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem condemnationis, ipso probante, quòd fuerit via, & forma viazolæ. Et idem seruetur in dugalibus scolatorijs, & fossatis occupatis per aliquam personam. Super quibus omnibus dictus officialis ad instantiam cuiuscunq; se conquerentis, & etiam ex officio suo teneatur, & debeat procedere, sub pœna librarum decem Imperialiũ pro qualibet vice. Et saluo, quòd si de occupatione dugalium scolatoriorum, & fossatorum appareret per loci euidentiam, & apertam præsumptionem, quòd dictus officialis ipsa dugalia scolatoria, & fossata faciat reduci ad pristinum statum per illos, qui ea occupassent, sub pœna prædicto officiali librarum decem Imperialium, pro qualibet vice qua negligens fuerit.

Rubrica, de Pontibus, & Dugalibus districtus Casalismaioris reaptandis.

ITem ad hoc vt aquæ decurrant more solito, & territoria discolentur, & non suffocentur propter pluuias, & alias aquas, Statutum est, quòd omnia dugalia, & fossata publica scolatoria existentia in districtu Casalismaioris cauentur, mundentur, & expediantur, ac purgentur per habentes, tenentes,

nentes, vel possidentes terrena, & sedumina penes dicta dugalia, & fossata, vt aquæ decurrant, & habeant liberum decursum; per hunc modum, videlicet, Quòd omnes personæ habentes terras, vel sedumina, vel tenentes, vel possidentes penes dicta dugalia, teneantur, & cogi debeant statim post publicationē huius statuti, cauare, remūdare, & expedire dicta dugalia per brachia quatuor, & vltra, si expediēs fuerit. Et saluo, quod si solita forēt esse magis lata, in suo statu manuteneantur, ita quòd aquę habeant liberum decursum per ipsa dugalia, & fossata. Et deinde similiter teneantur ad prædicta singulis quinque annis.

¶Et quòd pontes super dugalibus publicis fiant, & reficiantur, & facti manuteneantur de lapidibus, & calcina, per communia terrarum, & locorum, quorum homines, & personæ in dictis locis, & terris habitantes transitum faciunt super ipsis. Et quòd officialis prædictus teneatur intendere, inquirere, & circare de prædictis statim post publicationē præsentis statuti, & postea quolibet anno, sub pœna dicto officiali librarum decem pro qualibet vice, qua negligens fuerit. Et quòd debeat omnes clausas, & impedimenta deuetantes, & deuetantia dicta dugalia, & fossata decurrere per loca antiqua remoueri, deuastari, & cauari facere expensis illorum, qui dictas clausas fecerint, & quilibet possit dicta obstacula, & clausas deuetantes vt supra sua auctoritate deuastare. Et quòd officialis prædictus habeat plenam bailiam, & potestatem fieri faciendi, & executioni mandandi prædicta, & quodlibet prædictorum. Et inobedientes condemnare vsque ad quantitatem solidorum viginti Imperialium pro qualibet singulari persona inobediente, & qualibet vice, & vsque ad quantitatem solidorum quadraginta Imperialium pro qualibet communitate inobediente, & qualibet vice.

Rubrica, quòd in sponda muri ædificata super confinibus, ædificari possit per conuicinum.

ITem Statutum est, quòd quilibet vicin⁹ possit, & ei liceat in sponda muri ædificata super confinibus domus, seu soli conuicini, & quæ sponda incipiendo in fundo, & deueniendo sursum per aliquam partem ipsius spōdę, sit, vel appareat esse communis per fenestrellas, balumbaria, vel alia signa, facere, & ædificare, & tigna, & alia ædificia in ipsa spōda mittere, etiam in illa parte, quę non appareret communiter facta, sed per alterum tãtum ipsorum vicinorum, & hoc ipso soluente, vel offerente soluere cum effectu medietatẽ, quòd æstimabitur constitisse dicta pars spondæ, quæ non appareret communiter facta.

Rubrica, de Coppis, & Quadrellis.

ITem Statutum est, quòd omnes Fornasarij teneantur facere coppos, quadrellos, & tauellas crudos, & crudas ad calmerium consuetum à viginti annis citrà, pœna cuilibet contrafacienti pro quolibet milliari solidorum decem Imperialium, & in amissione cuiuslibet laborerij non legalis.

Rubrica, de fossatis cauandis apud stratas.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona teneatur cauare, seu cauari facere omnia fossata, quæ habet apud stratas magistras, & alias vias publicas iuxta cãpum suum infra dies octo à die pręcepti parte dicti officialis facti, ampla per vnum brachium ad minus in fundo, & de super ampla per brachia quatuor, & alta prout placuerit, & videbitur officiali conuenire, & medietatem terræ super stratã proijcere, &

releuare

releuare omnes zapellos campi sui, nec zapellos ibi tenere, sed solum pontem. Et ipsa fossata manutenere sic cauata, & pendentia, & ordinata, & expedita, quòd aquæ discolentur ad pontes ipsius stratæ, & ad dugalia antiqua, vel ad alia loca bassa, & pendentia. Et hoc sub pœna solidorum quinque Imperialium, pro quolibet contrafaciẽte in aliquo casuum prædictorum, & qualibet vice. Et nihilominus ad prædicta teneantur.

Rubrica, de terreno Fossatorum cauatorum reducendo, & explanando super stratas.

ITem quòd debentes aptare dictas stratas, teneantur, & debeant reducere, & explanare terram dictorum fossatorum æqualiter per dictas stratas, culmando ipsas in medio sic ordinatè, quòd pendeat, vt aquę pluuiales discolari subito possint ad fossata prædicta. Et si terra dictorum fossatorũ non sufficeret ad aptandum bene, & sufficienter dictas stratas, quòd possint impunè accipere de terra propinquorum agrorum pro reaptatione prędicta penes dictas stratas cum minori damno agrorum.

Rubrica, quòd vicinus inferior posßit cogi ad cauandum, quando superior cauare velit.

ITem Statutum est, vt campi faciliter discolentur per fossata scolatoria ad dugalia solita, quòd quotienscunque aliquis vicinus superior cauare voluerit fossatum campi sui vt discoletur, teneãtur vicini inferiores cauare fossata suorum agrorum infra terminum eis assignandũ, per officialem prædictum, vel ad petitionem dicti superioris vicini, sub pœna solidorum decem Imperialium. Et etiam nihilominus cauare teneatur.

Rubrica,

Rubrica, de via danda vicino per, & super campis.

ITem Statutum est, quòd si Dominus, vel possessor alicuius campi, non habeat viam habilem, vel consuetam implendi, & vacuãdi ipsum, quòd vicini propinqui teneantur eidem dare viam sufficientem, & habilem per campos suos cum minori damno, ipso soluente, vel offerente soluere cũ effectu terram dictæ viæ in duplo plusquàm valeat secundum æstimationem, & dispositionem dicti officialis, & bonorum duorum virorum eligendorum per eum de confidentibus partium.

Rubrica, de claudendis fiendis inter vicinos.

ITem cum multæ quæstiones oriantur inter vicinos de claudendis fiendis, & reformandis, Idcircò statutum est, quòd vicinus possit compellere vicinum ad faciẽdum claudendam inter se, & conuicinum, si de parietibus, fiat de parietibus, si de lapidibus, fiat de lapidibus, si de sepibus vel fratis, fiat de sepibus vel fratis. Et hoc breuiter, & summatim, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sine aliquo libello, vel petitione. Saluo si vicini fuerint concordes, quòd fiat claudenda murorum, siuè solita sit esse, siue non, & fuerint vicini boni, & idonei de facultatibus ad claudẽdum, quòd tunc fiat claudenda murorũ. Et quòd nulla persona audeat, vel præsumat amouere, vel amoueri facere, nec ponere, nec poni facere terminos aliquos inter se, & cõuicinum suum, nisi super hoc habuerit licentiam à pręfato officiale, vel nisi hoc fecerit de voluntate cõuicinorum suorum, in quorum præiudicium talis amotio, vel positio redundaret. Et hoc sub pœna librarum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica,

Rubrica, de medietate terræ foſſatorum cauandorum propè vias publicas proicienda ſuper ipſis vijs.

ITem Statutum eſt, quòd quęlibet perſona, quę cauauerit, ſeu cauari fecerit aliqua foſſata in diſtrictu Caſaliſmaioris propè aliquas vias, teneatur proijcere, vel proijci facere medietatem terræ, quæ extrahetur de dicto foſſato ſuper ipſis vijs publicis, & aliam medietatem ſuper campum eius. Et quòd de prædictis quilibet officialis communis poſſit inquirere, & punire contrafacientes in ſolidis decem Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet poſsit eos accuſare.

Rubrica, de pœna extrahentium aquam de Foueis Caſaliſmaioris.

ITem Statutum eſt, quòd nulla perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, de cætero audeat, vel præſumat extrahere, nec extrahi facere de aqua fouearum dictæ terræ Caſaliſmaioris abſque licentia ſpeciali, & mandato Illuſtriſſimi Domini Domini noſtri, & ſeu Domini Poteſtatis dictæ terræ, ſub pœna librarum decem Imperialium pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice.

Rubrica, de pœna proijcientis aquas à balconis, & feneſtris.

ITem Statutum eſt, quòd non ſit aliqua perſona, quæ audeat, vel pręſumat proijcere aquam de balcono alicuius conditionis, ſpazaturas, vel aliquid turpè ab aliquo balchono, feneſtra, vel ſtadiolo, in ſtratis ſub pœna ſolidorum quinque Imperialium pro qualibet perſona, & qualibet vice. Et quòd nulla perſona poſſit tenere aliquod ſeclarium

cor-

correspondens in stratis, quòd non sit coopertum, vel clausum assidibus, vel lapidibus vsque ad terram, sub pœna prędicta.

Rubrica, quòd per campos existentes penes vias non reaptatas iri poßit impunè.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona impunè possit transitum facere pedester, & equester, & cum bobus, plaustris, & caretis per, & super campos personarum, quæ penes ipsos campos non reaptauerunt vias, seu viazolas, & hoc penes seu tenus vias, seu viazolas, quæ reaptatæ non essent.

Rubrica, de pœna currentium equos per terram Casalismaioris.

ITem cum multi casus inopinati occurrant propter currentes equos in terra Casalismaioris, quibus multi pueri, & homines mortui sunt. Idcircò Statutum & ordinatum est, quòd aliqua persona, siuè sit ciuis, siuè sit forensis, non audeat, vel præsumat currere aliquem equum, vel equã per terram Casalismaioris, per stratas publicas, pœna solidorum viginti Imperialium contrafacienti.

Rubrica, de operibus fiendis per quodlibet caput familiæ.

ITem Statutum est, quòd Communia, & homines cuiuslibet Villæ, & loci, terræ, & districtus Casalismaioris teneantur, & debeant quolibet anno facere pro quolibet capite familiæ operas tres in meliorando, & reficiendo arzinos, videlicet operas duas de mensibus Aprilis, & Maij, & operam vnam de mense Augusti, vel alijs temporibus, secundum

cundum quòd requirentur ex parte dicti officialis, & infra terminum ſtatuendum ſibi per dictum Dominum Officialem, ſeu ex parte D. Poteſtatis Caſaliſmaioris, ſub pœna ſolidorum quinque Imperialium pro qualibet opera non facta. Et nihilominus teneantur facere dictas operas, ſub pœna prædicta ad terminum ſibi dandum per dictum Dominum Poteſtatem, vel officialem prædictum. Et quòd dictus officialis teneatur, & debeat fieri facere dictas operas quolibet anno ſub pœna librarum decem Imperialium de ſuo ſalario, Et quòd de prędictis debeat ſyndicari.

Rubrica, de operibus fiendis per Forenſes.

Item Statutum eſt, quòd forenſes habẽtes terras, ſeu poſſeſſiones in dicto diſtrictu, non habitantes in terra, nec in diſtrictu Caſaliſmaioris, pro quolibet, & quolibet anno teneantur fieri facere operam vnam in dictis arzinis pro quolibet iugere terræ, ac plus, ad voluntatem dicti officialis, & eorum mezadri teneantur ad prædicta pro ſuis dominis, ſeu poſſeſſionibus, ad pœnam ſolidorum quinq; Imperialium pro qualibet opera, prout ſupra continetur.

Rubrica, de non tenendo Nemora propè ſtratas magiſtras.

Item Statutum eſt, quòd nulla perſona audeat, vel præſumat habere, nec tenere penes ſtratas magiſtras per vigintiquinque capitia ab vtraque parte, nemora, ſub pœna librarum quinque Imperialium. Et quilibet poſſit talia nemora incidere, & incidi facere impunè, & ligna accipere, & aliò conducere pro ſuo libito volũtatis. Et quòd quęlibet perſona habens campos, vel prata penes ſeu tenus ipſas ſtratas magiſtras, ſeu vias, vel viazolas publicas, teneatur, & debeat incidere, & inciſas manutenere ſtratas, & li-

gnamina,

gnamina, quæ ſunt iuxta ſuos campos, vel ſua prata penes, ſeu tenus dictas ſtratas, vias, ſeu viazolas, vſque in terram. Et hoc locum non habeat in ſalicibus, nec arboribus fructiferis, nec in ceſis pigatis, ſub pœna ſolidorum viginti Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.



RVBRICA, DE OFFICIO, ET IVRISdictione Officialis Victualium.





TEM Statutum est, quòd Officialis deputatus ad victualia, qui sit comilito Domini Potestatis Casalismaioris, teneatur, & debeat singulis diebus intendere circa ea, quę spectant ad dictũ officium, & circare, & inquirere cõmittentes contra statuta spectantia ad dictum officium. Et contra committentes & negligentes facere ea, quæ continentur in ipsis statutis. Et de suis inuentionibus sibi credatur. Et quòd possit inquirere, & procedere ex officio, sũmariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & omissis omnibus solemnitatibus, & substantialibus iuris, & statutorum communis Casalismaioris.

Rubrica, de Tabernarijs, & forma bozolæ.

ITem Statutum est, quòd omnes & singuli vendentes vinum ad minutum, teneãtur & debeant vendere cum bozola vitrea, seu de vitro, larga à parte ĩferiori, & stricta desuper. Et si contrafecerint, condemnentur in solidis viginti Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice.

L *Rubrica,*

Rubrica, de guaitonibus non tenendis.

ITem Statutum eſt, quòd ſi Tabernarij tenuerint aliquos guaitones, ne familia eos inueniat, puniantur guaitones in ſolidis quadraginta Imperialibus, & tabernarij in totidem qualibet vice, qua contrafactum fuerit. Et quòd officialis victualium habeat plenam, & liberam bailiam contra omnes, & ſingulos guaitones inquirẽdi, & etiam cum vno teſte iurato puniendi.

Rubrica, de prædictis Tabernarijs.

ITem Statutum eſt, ꝙ omnes, & ſinguli tabernarij vendentes vinum ad minutum in terra, & diſtrictu Caſaliſinaioris, teneantur, & debeãt bene & iuſtè menſurare quãlibet bozolam vini, pœna, & banno ſolidorũ decem Imperialiũ, pro qualibet bozola vini malè menſurati. Saluo, quòd ſi aliqua bozola inuenta fuerit per dictũ Dominum Officialem victualium alicui perſonæ, & ille talis cui inuenta fuerit dicta bozola ſuo ſacramento iurare voluerit ſe ſparſiſſe de vino dictæ bozolæ, quòd credatur ſacramento illius, qui dictum vinum accepiſſet. Et quòd Tabernarius, vel illi qui dictam bozolam menſuraſſent, non teneantur ad aliquam pœnam occaſione dictæ bozolę. Si verò inueniatur aliquis vinum vendens cum aliqua bozola falſa, ſeu non iuſta, condemnetur in ſolidis centum Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice, Et quilibet ſit accuſator, & habeat medietatẽ banni, & teneatur celatus, & credatur cum ſacramento accuſatori. Et ſi contingerit plures bozolas fuiſſe repertas in aliquo vaſe, quarum vltima ſit ſcarſa, & defectiua, condemnetur de vltima bozola, & de pluri, inſpecta qualitate vini deficiẽtis, & qualitate fraudis, in arbitrio officialis prædicti.

Rubrica,

Rubrica, de eodem.

ITem Statutum est, quòd nullus Tabernarius, nec aliqua persona tam ciuis, quàm forensis debeat vendere, nec vendi facere vinum adaquatum in domo sua, seu taberna, aut canepa, ubi sit vinum quòd vendatur, pœna, & banno solidorum quadraginta Imperialium, pro qualibet vice. Et credatur officiali prædicto.

Rubrica, de eodem.

ITem Statutum est, quòd dicti Tabernarij nō debeant tenere aliquod dischum, nec aliquod impedimētum ante ostium, seu domum canepæ, in qua venditur vinum, nec propè ostium, per duo brachia ab vno capite tantum, ita quòd, quilibet posit intrare dictam domum, tabernam, seu canepam, pœna, & banno solidorum decem Imperialium, pro qualibet vice.

Rubrica, de eodem.

ITem Statutum est, ꝙ nulla persona de prædictis vendens vinum ad minutum, audeat, vel præsumat tempore quo vendit vinū, tenere spinā, canellā, aut brochettam in aliqua alia vegete canepæ, vbi dictum vinum vendit, nisi solum in illa sola vegete de qua aspinauit dictum vinum, nec dare vinum vnum pro alio, nec etiam nisi de vna sola vegete, sub pœna solidorum decem Imperialiū pro qualibet vice, qua contrafecerit. Et credatur, & stetur officiali, de inuentionibus suis in suprascriptis duobus proximis capitulis.

Rubrica, de eodem Tabernario.

ITem Statutum est, quòd quilibet Tabernarius teneatur tenere coopertos solios, in quibus tenet aquam, quando

aspinant vinum, sub pœna solidorum quinque Imperialiũ. Et quilibet possit eos accusare, & credatur cum sacramento cum vno testeiurato.

Rubrica, de pœna Bechariorum vendentium carnes fœmininas pro masculinis.

ITem Statutum est, quòd nullus Becharius, nec aliqua alia persona audeat, vel præsumat vendere carnes de porcha pro carnibus porci. Et intelligãtur esse de porcha, si nõ sint cum menzalio, sub pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet possit contrafacientes accusare, & habeat medietatem banni, & credatur officiali prędicto. Et idem intelligatur de carnibus pecudis, & castroni. Et quòd nullus Becharius audeat tenere super eodem bãcho carnes suprascriptas fœmininas cum masculinis, sub pœna suprascripta. Et si vendidisset carnes de porcha non castrata pro porco, vel pro masculo, vel pro castrata, duplicetur suprascripta pœna. Et quòd nullus Becharius audeat tenere alias carnes de porcabus, cum alijs carnibus super vno, & eodem bancho, sub pœna suprascripta.

Rubrica, de modo, & forma eleuandi calmerium carnibus.

ITem Statutum est, quòd quilibet Potestas Casalismaioris teneatur, & debeat ter in anno, videlicet ad Pascha Resurrectionis, & de mense Septembris, & de mense Decembris ante festum Natiuitatis, eligi facere per cõsilium dictæ terræ, & seu Deputatos ipsius terræ, qui erunt dictis mensibus, duos vel tres bonos viros, & legales homines de Casale maiori, qui vnà cum dictis Deputatis, vel de per se teneantur, & debeant facere calmerium omnium carnium, quæ venduntur ad bancha Bechariorum, & secundum dictum calme-

calmerium omnes Becharij teneantur vendere carnes suas, & non vltra, pœna & banno solidorum decem Imperialiũ pro quolibet, & qualibet vice, & Becharij habeãt carnes ad sufficientiam quolibet die, sub pœna qualibet vice solidorũ decem Imperialium vt supra. Et ꝙ aliquibus diebus Pascalibus, Natiuitatis, Circumcisionis, nec diebus carnispriuij, nec aliquibus alijs diebus, vel vigilijs aliquorum festorum possint vendere carnes vltra calmerium vt supra, sub pœna prædicta. Et hoc Statutum dispensari non possit, & dispensatio non valeat. Et officialis prædictus teneatur ire per terram & burgos, ac districtus Casalis maioris, & inquirere si vltra dictum calmerium vendunt. Et quòd pro qualibet libra, quæ reperietur, condemnetur ille Becharius, qui vendiderit in pœnam suprascriptam, & totiens pœna committatur, quotiens contrafactum fuerit. Et si dictum calmerium dictis temporibus non fuerit datum, remaneat firmum vetus calmerium quosque eis datum fuerit. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur celatus, & credatur accusatori cum sacramento, sub pœna librarum vigintiquinque Imperialium Potestati, vel officiali prædicta facere negligenti.

Rubrica, quòd Becharij non audeant sconflare, nec pellare aliquam porcham, & scorticare lardonem, & non vendant cum ossibus, nec intestinis.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd nullus Becharius, nec alia persona audeat, vel præsumat insufflare, vel boffare, vel inflare, vel sconflare per se, vel aliquam aliam personam, aliquam bestiam grossam, vel minutam, vel tenere aliquod corium, vel pellem alicuius bestiæ pro salãdo, vel seccando in aliqua via publica. Et quòd nullus Becharius audeat pellare aliquam porcham in aqua calida, quæ non sit

castrata, sed eam strinare cum igne. Et quòd nullus Becharius audeat, vel præsumat scorticare aliquas carnes, nec lardonem eleuare, qui se teneat ad dictas carnes, sed teneatur incidere, & dare petentibus, & emere volentibus vbicūque, & à quocunque latere voluerint emptores, in quacunque quantitate voluerint, in vna libra, & abinde supra, sine pedibus, auricula, ossibus, & intestinis, vel aliqua alia iunctura, vel sine figado, milzia, vel corada, & canarutio, quæ omnia, & singula teneantur separare à carnibus, & per se vendere, sub pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet uice. Et omnes, & singuli becharij teneantur, & debeant tenere ad bestias signa masculorum, & omnia, & singula suprascripta teneantur, & debeant omnes, & singuli becharij uēdere uolentes carnes salsas, obseruare, & nō contrafacere, pœna, & banno solidorum uiginti Imperialium pro quolibet, & qualibet uice. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & credatur cum sacramento, & teneatur secretus.

Rubrica, de pœna vendentis carnes vnam pro alia.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd nullus Becharius de cætero uendat carnes aliquas unam pro alia, pœna, & banno cuilibet Bechario solidorum decem Imperialium. Et quòd non audeat facere aliquas carnes, nec uendere infra unum annum, pœna, & banno librarum quinque Imperialium, tempore quo repertus fuerit sic uendidisse unā pro alijs. Salua, & reseruata semper omni maiori pœna contra uendentes carnes de porcha non castrata, pro castrata, uel pro porcho, contenta in statuto, quòd est sub Rubrica, de pœna Bechariorum uendentium carnes fœmininas, pro masculinis.

Rubrica,

Rubrica, de carnibus vendendis ad iustam pensam, & de pœna contrafacientium.

ITem Statutum est, quòd quilibet vendens carnes, debeat vendere ipsas carnes ad iustam pensam communis Casalismaioris, sub pœna solidorum quinque Imperialiũ, pro quolibet, & qualibet vice, qua repertus fuerit contrafecisse.

Rubrica, quòd ostia Becharioru̅ pateant, quando interficiunt, & scorticant carnes.

ITem Statutum est, quòd quilibet Becharius teneatur, & debeat tenere ostium suæ bechariæ apertum, quando occidit carnes, & ipsas scorticat, ad hoc, vt ipse officialis possit intrare domum, seu bechariam, pœna, & banno cuilibet bechario contrafacienti, & qualibet vice, solidorum decem Imperialium.

Rubrica, de carnibus morticinis, & morbosis non vendendis ad becharias.

ITem Statutum est, quòd non sit aliquis Becharius qui audeat portare, nec portari facere aliquas bestias morticinas ad domum, seu becharias suas, nec eas tenere ad suã bechariam, nec in aliqua parte, vel districtu Casalismaioris, pœna, & banno solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de eodem.

ITem Statutum est, quòd non sit aliquis Becharius qui audeat, vel præsumat vendere aliquas bestias morticinas, vel

vel gramignosas,pœna,& banno solidorum centum Imperialium cuilibet contrafacienti,& qualibet vice.

Rubrica, de capitibus Bechorum, Caprarum, Moltonorum, Castronorum, & Pecudum non separandis.

Item Statutum est, quòd non sit aliquis Becharius, qui audeat separare capita aliquorum bechorum,vel caprarum, vel cornua incidere à capitibus ipsarum bestiarũ, donec carnes illarum fuerint venditæ, pœna,& banno solidorum decem Imperialium pro quolibet bechario, & qualibet vice, Et quòd becharij teneantur, & debeant quilibet relaxare capita moltonorum,castronorum,et pecudum integra cum vno ex mezenis,sub pœna prædicta.

Rubrica, de corezia non fienda aliquibus carnibus fœmininis.

Item Statutum est,quòd non sit aliquis becharius,qui audeat facere coreziam aliquam aliquibus carnibus alicuius porchæ fœmininæ, nec super pecorinis, nec tenere super ipsis aliquod signum alicuius porci masculi, vel castroni, pœna, & banno solidorum quadraginta Imperialium cuilibet bechario contrafacienti, & qualibet vice.

Rubrica, de pœna tenentis de duabus carnibus super vno, & eodem bancho.

Item Statutum est, quòd aliquis Becharius, seu vendens carnes,non teneat de duabus carnibus super vno,& eodem bancho, videlicet de masculo, & fœmina, pœna contrafacienti solidorum viginti Imperialium, pro qualibet vice.

Rubrica,

Rubrica, quòd quilibet poſſit facere, & vendere carnes vbicunque, non obſtante, quòd non ſit de paratico.

ITem Statutum eſt, quòd quilibet poſſit liberè, & impunè facere carnes recentes, & vendere in qualibet parte terræ, & burgorum Caſaliſmaioris, non obſtante, quòd non ſit in paratico bechariorum, ſeruando ſemper omnia ſupraſcripta ſtatuta, & alia infraſcripta ſtatuta Caſaliſmaioris.

Rubrica, quòd Becharij non audeant ponere retes ſuper Agnos, nec Capretos, nec ſuper aliquibus alijs carnibus.

ITem Statutum eſt, quòd nullus Becharius audeat ponere aliquas retes ſuper agnos, nec ſuper aliquibus alijs carnibus. Et quòd becharij teneantur vendere capretos ſine aliquibus pedibus, & dare ad libram cuilibet petenti ſecundum calmerium, pœna cuilibet contrafacienti ſolidorum quinque Imperialium pro qualibet vice.

Rubrica, quòd Becharij teneantur aliò exportari facere ſanguinem beſtiarum.

ITem Statutum eſt, quòd quilibet Becharius, & quælibet alia perſona, quæ ſcanauerit, vel occiderit aliquam beſtiam ad aliquam becharíam, teneatur eodem die facere exportari extra ſtratas publicas ſanguinem. Et quòd nullus becharius audeat, proijcere, vel proijci facere in aliquibꝰ locis publicis terræ, & burgorum Caſaliſmaioris aliquam turpitudinem, nec aliqua inteſtina vacuare, pœna cuilibet cõtrafaciẽti, & qualibet vice, ſolidorum decem Imperialium. Et quòd nulla perſona audeat dare ſanguinem aliquarum

beſtiarum

bestiarum ad bibendum, vel comedendum aliquibus porcis, vel porcabus, sub simili pœna.

Rubrica, de pœna vendentium capita bestiarum, quæ stupauerint.

ITem quòd nullus Becharius, vel alia persona vendẽs carnes ad minutum, audeat, vel præsumat vendere capita aliqua manziorum, nec aliarum bestiarum bouinarũ, quæ stupauerint, vel dicta capita incidere quominus videri possint dentes, donec, & quousque vẽderentur carnes prædictorum manziorum, & bestiarum, sed prædicta capita tenere super bancho palâm, & super capitibus tenere calmerium, vt ab omnibus videri possint. Et hoc sub pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de sepo confectoribus non vendendo.

ITem quòd quilibet Becharius, & qualibet alia persona non possit vendere sepum aliquibus confectoribus, nec alijs extrahentibus, vel extrahere volentibus extra terram, & districtum Casalis maioris, pœna solidorum quinq; Imperialium pro quolibet, & qualibet libra sepi.

Rubrica, de pœna non dicentis ementi, quantitatem librarum, & unciarum carnium quas vendiderit.

ITem quòd quilibet Becharius, & qualibet alia persona vendens carnes ad minutum, debeat dicere cuilibet ementi carnes ab ipso, quot libræ, & vnciæ fuerint carnes, sub pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Et de prædictis credatur, & stetur sacramento ementis, vel carnes portantis.

Rubrica,

Rubrica, quòd Becharij non vendant carnes ante sonum campanæ diei.

ITem Statutum est, quòd nullus Becharius, nec aliqua alia persona, ciuis, nec forensis audeat, nec præsumat incidere, nec vendere carnes ad suas becharias, nec alibi, alicuius maneriei ante sonum campanæ diei, quę pulsatur in mane, nec post sonum campanæ pacis, quæ pulsatur de sero post Aue Maria super Turri communis Casalis maioris, pœna, & banno pro qualibet libra, quæ fuerit inuenta per officialem, solidorũ quinq; Imperialiũ. Et quilibet possit accusare contrafacientes, & credatur ei cũ sacramento, & habeat medietatem banni, & teneatur celatus. Et ꝙ nullus Becharius audeat, vel præsumat occidere, nec scorticare aliquam bestiam grossam, aut minutam, nisi ad becharias suas, vbi ipsi vendunt carnes, pœna, & banno, vt supra.

Rubrica, quòd Becharij non faciant luganegam.

ITem Statutũ est, quòd non sit aliquis Becharius, nec aliqua alia persona, quæ audeat, vel præsumat facere, nec fieri facere luganegam, seu salsiciam, nisi de carnibus porci masculi, vel castratæ, quæ nunquàm alactauerit, sub pœna solidorum quadraginta Imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Rubrica, de figato bestiarum vendendo.

ITem Statutum est, quòd omnes Becharij, & aliæ personę vendētes carnes ad minutum alicuius maneriei, nō possint accipere de libra figati cum rete sufficienti ad dictum figatum,

figatum, videlicet de porco, vel de castrata, quæ sic castrata reperiatur, vltra sex denarios, & tantum minus quantū fuerit calmerium eis datum super carnibus prædictis. Et de vitello, manzio, agnello, & capreto, nisi illud pretium quo vẽdunt dictas carnes. Et hoc sub pœna, & banno solidorum viginti Imperialium. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Rubrica, quòd Becharij non possint condemnari de insufficientia carnium in die Iouis.

ITem Statutum est, quòd Becharij non possint condemnari de insufficientia carnium, si non fuerint eis inuentę ad sufficientiam diebus Iouis post vesperas.

Rubrica, quòd Becharij teneantur pro filijs, socijs, & famulis.

ITem Statutum est, quòd patres Bechariorum teneantur, & obligati sint pro filijs eorum stantibus cum eis ad panem, & vinum. Etiam quilibet Becharius teneatur pro socijs, famulis, & pro quolibet vendente carnes ad suā becharìam. Et quòd quilibet Becharius possit, & debeat cogi facere dictam artem bechariæ, per totum annum, quo incipit facere dictam artem. Et annus inceptus intelligatur quando incipit datium scannaturæ.

Rubrica, de non tenendo carnes pecudinas, vbi venduntur carnes castronorum.

ITem Statutum est, quòd nullus Becharius, nec aliqua alia persona vendens carnes ad minutum audeat, vel præsumat habere, vendere, nec tenere carnes pecudum, vel caprarum, seu bechorum, vel mōtonorum tosellorum, vel tosellarum

larum ad banchum, seu ad bechariam, ad quam vendunt carnes castronorum, nec in illa domo, seu statione becharię, vbi vendunt carnes castronorum habere, nec tenere aliquas carnes pecudum, mõtonorum, caprarum, seu bechorum tosellorum, vel tosellarum, sub pœna solidorum viginti Imperialium pro quolibet, & qualibet vice, & amissionis carnium inuentarum contra prædictam formam, quæ carnes sic inuẽtæ mittãtur carceratis. Et de prædictis, & quodlibet prædictorum credatur, & stetur inuentioni officialis victualium, & credatur accusationi cuiuslibet personę cum sacramento.

Rubrica, de pœna Becharij vendentis sepum, non netum, & purum.

ITem Statutum est, quòd dicti becharij teneantur, & debeant sepum quòd vendent, siuè dabunt candellarijs, dare netum, & purum, sub pœna suprascripta, & de prædictis credatur candellario accusatori, seu denunciatori cum sacramento, & antequàm dictum sepũ laboret, si aliqua fraus reperietur in ipso sepo, ipse candellarius teneatur officiali prædicto denunciare.

Rubrica, de pœna vendentium carnes, nisi primò sint visæ per officialem, & vendentium carnes calidas, & proijcientium aquam super carnes.

ITem Statutũ est, quòd aliquis Becharius, nec aliqua alia persona cuiuscunque status, vel conditionis existat, non audeat, vel præsumat vendere, vel vendi facere, nec interficere in dicta terra Casalismaioris aliquas quantitates carnium, nisi primò fuerint visæ, & examinatæ per officialem victualium prædictum, & sibi datum calmerium prædicta-

rum carnium fic vifarum per dictum officialem, pœna, & banno folidorum viginti Imperialium pro quolibet,& qua libet vice,& qualibet beftia.Ac etiam tales fic vendentes nō audeant, nec præfumant vēdere aliquas carnes calidas, nec fuper ipfis carnibus proijcere aquam pro faciendo ipfas carnes frigidari,pœna,& banno vt fupra dictum eft. Et quòd officialis victualium poffit circare quofcunq; contrafacientes, & punire quofcunque inuenerit contrafacere in prædictis.Et quilibet poffit effe accufator de prædictis,& fibi credatur cum facramento, & habeat medietatem condemnationis,& teneatur celatus. Saluo, quòd dictum capitulum de carnibus calidis non habeat locum de menfibus Aprilis, Maij,Iunij,Iulij,& Augufti, ita quòd non poffit fieri aliqua condemnatio de dicta caufa per dictum officialem de dictis menfibus fic fpecificatis. Et per hanc prouifionem non derogetur alijs prouifionibus fuper hoc editis.

Rubrica, de pœna tenentibus in domibus, vel becharijs beftias, vel carnes abfconditas.

ITem Statutū eft, quòd aliquis Becharius, nec aliqua alia perfona non audeat, vel præfumat tenere, nec teneri facere in eorum domibus, feu becharijs aliquas beftias mortuas,nec carnes abfconditas,vel reclufas in aliqua parte, feu parte loci,fed eas beftias,& carnes tenere palàm ad raftellos bechariarum fuarum,vt dictæ beftiæ, & carnes à quibufcūque perfonis emere volentibus videri poffint. Et non intelligantur abfconditæ, fi fuerint in eorum becharijs, & oftia fuerint aperta fic, quod videri poffint per perfonas in ftrata,fiuè via dictæ bechariæ exiftentes. Ac etiam quod dicti Becharij,& tales fic vendentes,non debeant ponere,nec tenere aliquam graffam fuper carnes, nec reficere rognonos de graffa alicuius beftiæ modo aliquo,vt videātur pinguiores

res quàm sint, pœna solidorum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit per aliquem in prædictis. Et per hanc prouisionem non derogetur alijs prouisionibus super hoc editis.

Rubrica, de pœna facientium panem minus pensa.

ITem Statutum est, quòd omnes facientes panem pro vẽdendo, & quilibet eorum, debeant facere bonum panẽ album, bene coctum, & assasonatum, & debeant facere ad pensam sibi dandam per Deputatos Casalismaioris, & seu per Iudicem victualium. Et q̃ officialis prædictus possit, & debeat qualibet hebdomada bis ad minus, ire, pensare, & circare in platea, & alibi vbi panis venditur, & dictum panẽ pensare, si fuerit ad iustam pensam sibi datã per dictos Deputatos, & seu per dictum officialem, & malecoctus, & assasonatus, & tantum plus quãtum videbitur ei. Et si aliquis prædictorum fuerit inuentus vendere, vel tenere panẽ contra dictam formam, soluat pro quolibet, & qualibet vice, & pro quolibet pane sic inuento denarios sex, & amittat panẽ sine aliqua admonitione, vel defensione, nec aliqua alia defensio detur eis, vel ei. Et dictus panis sic amissus detur carceratis, Et si qui in carceribus non fuerint carcerati, dictus panis vt præmittitur inuentus, inter egenas, & miserabiles personas, & prout præfato officiali videbitur detur, ac distribuatur, pœna officiali prædicta facere negligenti librarum decem Imperialium.

Rubrica, de calmerio Panis.

ITem Statutũ est, q̃ ordo, & forma calmerij panis, qui venditur, & vẽdi debet in terra, & districtu Casalismaioris, fieri debeat modo infrascripto, faciẽtibus, & fieri facere volentibus panẽ venalẽ in dicta terra. Intelligendo, q̃ quilibet panis vendatur, & vẽdi possit, & debeat in ratione denariorum duorum pro quolibet, videlicet.

¶Quando valet sextarius frumenti solidis tribus Imperialibus, potest fieri panis de vnc. 18. quart. 3.

¶Quando valet solidis quatuor cum dimidio, potest fieri de vnc. 16. quart. 2. em.

¶Quando valet solidis quinque, potest fieri de vnc. 14. quart. 3.

¶Quando valet solidis quinque cum dimidio, potest fieri de vnc. 13. quart. 1.

¶Quando valet solidis sex, potest fieri de vnc. 13.

¶Quando ualet solidis sex cum dimidio, potest fieri de vnc. 12. quart. 2. em.

¶Quando ualet solidis septem, potest fieri de vnc. 12.

¶Quando ualet solidis septem cum dimidio, potest fieri de vnc. 11. quart. 2.

¶Quando valet solidis octo, potest fieri de vnc. 11.

¶Quando valet solidis octo cum dimidio, potest fieri de vnc. 10. quart. 1. em.

¶Quando valet solidis nouem, potest fieri de vnc. 10. quart. 1.

¶Quando valet solidis nouem cum dimidio, potest fieri de vnc. 9. quart. 3. em.

¶Quando valet solidis decem, potest fieri de vnc. 9. quart. 2.

¶Quando ualet solidis decem cum dimidio, potest fieri de vnc. 9. quart. 1.

¶Quando valet solidis vndecim, potest fieri de vnc. 8. quart. 3. em.

¶Quando ualet solidis undecim cum dimidio, potest fieri de vnc. 8. quart. 2. em.

¶Quando valet solidis duodecim, potest fieri de vnc. 8. quart. 1. em.

¶Quando ualet solidis 12. cum dimidio, potest fieri de vnc. 8.

¶Quando

¶Quando valet ſolidis 13.poteſt fieri de vnc.7.et quart. 3.cum dimidio.

¶Quando valet ſolidis 13.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.7.quart.2.cum dimidio.

¶Quando valet ſolidis 14.poteſt fieri de vnc.7.quart.1.

¶Quando valet ſolidis 14.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.7.quart.1.

¶Quando ualet ſolidis 15.poteſt fieri de vnc.7.

¶Quando ualet ſolidis 15.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.6.quart.3.

¶Quando ualet ſolidis 16.poteſt fieri de vnc.6.quart.2. cum dimidio.

¶Quando ualet ſolidis 16.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.6.quart.2.

¶Quando ualet ſolidis 17.poteſt fieri de vnc.6.quart.1. cum dimidio.

¶Quando valet ſolidis 17.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.6.quart.1.

¶Quando ualet ſolidis 18.poteſt fieri de vnc.6.quart.2.

¶Quando ualet ſolidis 18.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.6.aliquid minus.

¶Quando ualet ſolidis 19.poteſt fieri de vnc.5.quart.3.

¶Quando ualet ſolidis 19.cum dimidio, poteſt fieri de vnc.5.quart.2.cum dimidio.

¶Quando ualet ſolidis 20.poteſt fieri de unc.5.quart.2.

¶Saluo, quòd ſi aliquæ expenſæ adderentur ultra morem ſolitum, tunc calmerium muretur.

Rubrica, de Mulinarijs.

ITem Statutum & ordinatum eſt, quòd omnes mulinarij teneátur, & debeant omni hebdomada ſemel ad minus, ire ad domum cuiuslibet maſſarij, & maſſariæ, & ab ipſis

accipere bladam in grano, si dare uoluerint, & eam pensare ad domũ massarij, vel massariæ, hoc modo, videlicet, quod sestarius grani frumenti, vel siliginis qui dabitur mulinario sit pensium trium, & quinque librarum cum sacho, & ipsã bladam seu granum, sic pensatum incontinenti per rectam viam, & sine aliquo interuallo portare ad casellam, & ibi ad dictam casellam pensari facere dictam bladam, & scribi, & bullari per officialem deputatum ad dictam casellã, faciendo scribi diem in quo portauerit dictam bladam, & nomẽ eius cuius fuerit dicta blada, & quantitatem ipsius bladæ, & ad molendinum portare, & macinare, & cũ fuerit macinata ipsa blada, ipsam portare ad casellam per rectam viam, sine aliquo interuallo, & facere ipsam pensari, & cancellari de libro. (Et quòd nullus mulinarius audeat tenere in eius molendino cribella aliqua, sub pœna infrascripta,) & reddere bene macinata, & bene seruita, videlicet, vnum sextarium culmum de farina aburatata, & decem librarum remolarum pro quolibet sextario ad domũ massarij, vel massariæ, à quo acceperit, infra tertiam diem, ex qua acceperit dictam bladam, de alijs verò granis habeant ad pensam, & reddant ad pensam, & habeant de quolibet sextario libras quinque, & hoc sub pœna solidorum quinque Imperialiũ pro quolibet eorum, & qualibet vice, & quolibet capitulorum prædictorum. Et nihilominus teneantur reddere farinam quam tenuissent massario, vel massariæ infra tertiam diem postquàm lamentatio fuerit facta de prædictis, vel in aliquo prædictorum de ipsis mulinarijs. Et de prædictis omnibus teneãtur massario, vel massariæ, nulla citatione facta, & nulla defensione data de contradictione, & retentione bladi, seu farinæ, & sachi, cuilibet conquerenti de prędictis. Et teneãtur mulinarij in principio cuiuslibet regiminis cuiuslibet Potestatis dare bonam securitatem de obediendo mandatis officialis prædicti, & attendendo prædicta. Et teneantur

neantur mulinarij pro famulis ſuis, qui iuerint pro eis ad accipiendum grana, & bladas, ſi aliquid commiſerint contra formam ſtatuti victualium.

Rubrica, quòd Dominus Poteſtas teneatur accipere ſecuritatem à Dominis molendinorum.

ITem Statutum eſt, quòd Dominus Poteſtas, vel officialis victualium mittere teneatur pro Dominis molendinorum habentibus molẽdina in diſtrictu Caſaliſmaioris, ac etiam pro mulinarijs macinantibus ad eorum molendina, & accipere ſecuritates idoneas ab eis, quod bladum, quod conducetur per ipſos mulinarios ad molendinum ipſorum, conducent, ſeu conduci facient ad dictam terram, ſeu ad loca, vnde leuauerint dictum bladum, in farinam. Et quòd non conducent, nec conduci permittent ſuo poſſe bladum, neque farinam extra diſtrictum Caſaliſmaioris, & ſi ſciuerint, denunciabunt pręfato Domino Poteſtati infra tertiam diem. Et hoc intelligatur de molendinis exiſtentibus in flumine Padi. Et accipiatur ſecuritas idonea de libris quinquaginta à dominis molendinorum. Et teneantur domini pro ipſis mulinarijs molendinorum; pœna autem non pręſtantis dictam ſecuritatem ſit arbitrio Domini Poteſtatis.

Rubrica, de accuſis fiendis de Mulinarijs.

ITem Statutum eſt, quòd quilibet maſſarius, & quælibet maſſaria, cuiuſuis ſtatus, & conditionis exiſtat, tã ciuis, quàm forenſis, qui, vel quę ab hinc in antea accuſare voluerit aliquem mulinarium, vel petere voluerit alicui mulinario aliquam quantitatem farinæ retentæ, teneatur & debeat talem accuſam, ſeu petitionem dediſſe, & porrexiſſe in

ſcriptis

scriptis officiali victualium infra dies triginta, ex quo dicti mulinarij habuerint ab aliquibus personis frumentum, vel aliquod aliud bladum. Et quòd quælibet persona, quæ ab hinc in antea accusare voluerit aliquos mulinarios, vel aliqua petere ab aliquibus mulinarijs occasione suprascripta, teneatur, & debeat in ipsa accusa, seu petitione dicere, quòd tales mu linarij accusati, à triginta diebus citrà, retinuerunt sibi farinam, & aliter dicta accusa, seu petitio non valeat facta de dictis mulinarijs, & elapsis terminis, accusa, seu petitio aliqua fieri non possit de aliquibus mulinarijs, occasione alicuius farinæ retentæ, nec de aliquibus contentis in prouisione, seu statuto præsenti, & de prædictis fiat crida.

Rubrica, de sachis farinæ non tenendis in terra.

ITem Statutum est, quòd omnes Mulinarij Casalis maioris, & eius districtus modo aliquo macinantes, seu macinari facientes in eorum molendinis aliquod bladũ, teneantur, & habeant, & debeant habere, & tenere in eorum molendinis assides amplas, & idoneas, & super dictis assidibus tenere sachos bladi, & farinę sic existẽtes in eis molendinis, & non tenere ipsos sachos in terra aliquo modo, pœna, & banno cuilibet mulinario, pro quolibet sacho bladi, & farinæ, & qualibet vice, sic eis repertæ, solidorum decem Imperialium.

Rubrica, de Piscatoribus.

ITem Statutũ est, quòd omnes pischatores, & omnes vendentes, & vendere volentes pisces, non possint vendere pisces aliquos in aliquo loco terræ, & burgorum Casalis maioris, nisi in platea dictæ terræ. Et contrafacientes puniantur in solidis decem Imperialibus pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica,

Rubrica, de pœna tenentis ballancias, & consimilia falsa.

ITem Statutum est, quòd nulla persona audeat, vel præsumat vendere cum balancijs, vel oxeuilijs falsis, mensuris, marchis, & lapidibus, nec pensare, nec mẽsurare, nec tenere prædicta cum passis falsis, seu non iustis, nec falsitatẽ aliquam committere in aliqua arte, nec in aliqua re, pœna, & banno solidorum centum Imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et intelligatur ballancia falsa, si vna pars dictæ balanciæ non fuerit æqualis alteri parti dictæ balanciæ per vnum quarterum, vel plus vnius vnciæ.

Rubrica, de pensis tenendis de Ferro, Ramo, & Bronzio.

ITem Statutum est, quòd omnes personę cuiuscunq; conditionis sint, vendentes victualia, & omnes aliæ personę vendentes cum balancijs aliquas alias res, teneantur, & debeant ad earum stationes, & banchas, ad quas vendũt aliqua victualia, & alias res, tenere instrumẽta, cum quibus pensant, de bronzio, ferro, ramo, vel vitro, & si super prædictis pensis, seu instrumentis additũ fuerit stagnũ, vel plumbum, debeant dictæ pensæ bullari super stagno, vel plumbo addito pro pẽsando dicta victualia, vel alias res. Et hoc locũ habeat vsq; ad quantitatẽ unius pòderis, & unius quartironi, & hoc pœna, & bãno, pro qualibet pẽsa, & qualibet uice, solidorum quinque Imperialium, & teneant altas balãcias à bancho per vnum sumisse ab uno capite tãtum, sub dicta pœna, & ambæ balanciæ sint super banchum. Et si semel fuerint bullatæ signo officialis, quòd amplius non teneantur bullari, dum tamen sint iustæ. Et officialis victualium teneatur quolibet mense rimari de prædictis.

Rubrica,

Rubrica, de Mensuris, & Passis bullandis.

ITem Statutum est, quòd quælibet personæ teneantur, & debeant mensuras vini, & bladæ cum quibus mensuratur, & venditur, & passos cum quibus passatur, & mensuratur, singulis regiminibꝰ, ipsos, & ipsas facere assazari, et bullari, & etiam præsenti tempore post publicationem præsentium statutorum infra terminum statuendum à Domino Potestate, vel officiali prædicto, & assazari, & bullari facere teneantur per dictum officialem, pœna, & banno quinque solidorum pro quolibet contrafaciente.

Rubrica, de fraudibus artificum singulo mense rimandis.

ITem Statutum est, quòd officialis victualiũ singulo mense ad minus, & etiam qualibet die qua sibi videbitur, teneatur circare in stationibus aurificum, fabrorum, confectorum, & aliorum artificum, si committunt aliquam falsitatem, vel aliquid aliud, quòd sit contra statuta præsentis voluminis, & repertos facere falsitatem aliquam, vel facere contra dicta statuta, punire, & condemnare in pœnis contentis in dictis statutis, pœna dicto officiali in prędictis negligenti librarum decem Imperialium.

Rubrica, de Balancijs monetarum coæquandis.

ITem Statutum est, quòd Dominus Potestas Casalis maioris, vel officialis victualium teneatur, & debeat facere coæquari balancias, & campionos florenorũ campsoribus, & merchatoribus pro florenis pensandis. Et teneantur, & debeant cãpsores tenere balancias coæquales, & granos, & medios granos pro pensando. Et si quis contrafecerit, condemnetur in solidis quinque Imperialibus.

Rubrica,

Rubrica, de pensis lapidum, & similia.

ITem Statutum est, quòd lapides pensarum, si fuerint inuentæ minus medio quarterio, pro qualibet libra, debeant condemnari habentes prædictos lapides, & tenentes, quilibet, & qualibet uice in solidis decem Imperialibus, & abinde supra pro rata condemnetur.

Rubrica, de pœna extrahentis sepum extra terram, & districtum Casalismaioris.

ITem Statutum est, quòd aliqua persona vndecunque sit, non audeat, nec præsumat extrahere, nec extrahi facere sepum aliquod extra terram, & districtum Casalisinaioris, sub pœna amminissionis dicti sepi, & solidorum quinque Imperialium pro qualibet libra.

Rubrica, de pœna facientis candellas de sepo non clarificato.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona faciens candellas de sepo in terra, & districtu Casalismaioris, non possit ponere ad faciendum dictas cãdellas, nisi sepum bene clarificatum. Et quòd non debeat immiscere, nec ponere ad faciendum dictas candellas lardum, nec sonziam, nec aliud uituperium. Et hoc sub pœna, & bãno solidorum viginti Imperialium pro qualibet libra. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem condemnationis.

Rubrica,

Rubrica, quòd Spetiarij possint vendere diebus feriatis.

ITem Statutum est, quòd spetiarij dictæ terræ Casalis maioris vendere possint candellas ceræ, medicinas, confectiones,& alia necessaria pro usu,& pro victu personarum, cum aliquando casus accidant, necessitatis habendi de dictis rebus propter infirmitates hominum occurrentes, ipsis tenentibus ostia clausa, solo ostiolo aperto.



RVBRICA, DE MODO, ET ORDINE *procedendi in cauſis ciuilibus.*

ITEM Statutum eſt, quòd quęlibet legitima perſona ad petendum, agere, vel petere intendens quocunque iure agere velit, ſiuè reali, ſiuè perſonali, ſiuè mixta actione, ſiuè officio, ſiuè poſſeſſorio, ſiuè quacunque alia actione, teneatur porrigere, & porrigat petitionem in ſcriptis coram Poteſtate Caſaliſmaioris, quam porrigere poſſit, abſente, & incitata parte. Et perſona legitima intelligatur perſona principalis, quæ ex forma iuris, vel ſtatutorum per ſe in iudicio eſſe poſſit, vel legitima perſona pro ea per publicũ, & ſolemne inſtrumentum in actis cauſæ productum, vel per ſatiſdarionẽ de rato factam ante citationem, vel de qua per Dominum Poteſtatem prædictum fuerit pronunciatum eſſe legitimam in cauſa. Et omnes ac ſingulę lites, quæſtiones, cauſæ, cõtrouerſiæ ciuiles, vel quæ ciuiliter agitentur, & de cætero moueri contigerit coram præfato Domino Poteſtate, per, & inter qualcunque perſonas, communia, collegia, vel vniuerſitates, vel inter aliquam ſingularem perſonam, & communitatem, vel vniuerſitatem quouiſmodo, quauis cauſa cognoſcãtur, & decidãtur, & fine debito terminẽtur iuridicè, & ſeruatis ſtatutis huius terræ, & ordinibus, reiectis cauillationibus, & friuolis exceptionibus quibuſcunque per præfatum Dominum Poteſtatem, coram quo, lis, quæſtio, cau-

 ſa, vel

ſa,vel controuerſia mota fuerit,& hoc infra terminos ſuper hoc inferius limitatos, ſub pœna librarum quinquaginta Imperialium applicandarum Cameræ Illuſtriſsimi, & Excellentiſsimi Domini Domini noſtri, & refectionis expenſarum vtrique parti. Et prædicta locum non habeāt in cauſis,& quæſtionibus decem librarum, & rei tanti valoris, & abinde infra, in quibus procedi poſsit breuiter, & ſummatim,ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & omni iuris, & ſtatutorum ſolemnitate ommiſſa.

¶Qui termini cognoſcendi, & terminandi ipſas lites, quæſtiones, cauſas, & controuerſias, & in eis procedendi, hoc ordine limitentur, & limitati eſſe intelligantur, vt infra, videlicet.

Rubrica, quòd inſtantia cauſæ principalis non duret vltra tempus quinquaginta dierum vtilium.

QVòd inſtantia cauſæ principalis non duret, nec durare poſsit, nec debeat vltra tempus, & ſpatium dierum quadraginta vtilium à die inceptæ litis computādorum, quæ incepta intelligatur petitione porrecta,& in actis dimiſſa, & aduerſæ parti legitimè notificata, vbi per viam libelli, vel petitionis procedatur, qui libellus, vel petitio, qualiſcunque ſit, dummodo ſit tolerabilis, admittatur,& admiſſa eſſe intelligatur ipſo iure, (Et tolerabilis intelligatur,ſi cōtineat perſonā actoris,& rei,& quantitatem,& rem,ſeu ius quę petuntur,& cauſam petitionis,) & à die contradictionis,ſeu comparitionis rei opponentis, ſeu querelæ notificatæ parti, vbi extra ordinem, per viam comparitionis,contradictionis, & oppoſitionis, ſeu querelæ procedatur.

Rubrica,

Rubrica, quòd instantia primæ causæ appellationis, non duret vltra tempus dierum vigintiquinque vtilium.

INstantia verò causæ appellationis interponendæ semel tantum per vtranque partem non duret, nec durare possit, nec debeat, videlicet in prima causa appellationis vltra tempus, & spatium dierum vigintiquinque vtilium.

Rubrica, quòd instantia secundæ causæ appellationis, non duret vltra spacium triginta dierum vtilium.

SEcunda verò causa appellationis non duret, nec durare possit, nec debeat vltra tempus, & spacium dierum triginta vtilium, ita quòd omnibus computatis, videlicet, tam tẽporibus instantiæ causę principalis, quàm vtriusque causæ appellationis terminus dierum centum quinque vtilium, saluis temporibus deputatis ad appellandum, vigore præsentis statuti, nullatenus excedatur, nec excedi possit, nec etiam dilatari, seu prorogari quoquomodo, sub pœna prædicta.

Rubrica, de termino statuto ad respondendum petitioni.

VTq; termini deliberandi, & respondendi petitioni, & probandi, & reprobandi, & alia faciendi in litibus, quæstionibus, causis, & controuersijs antedictis, diuidantur, & ordine congruo limitentur. Et ne productiones iurium, & probationes cauilosè, & cautelosè, & in fraudem vsque propè finem litis deferãtur, Statuitur, quòd statim petitione porrecta, & in actis dimissa in principali causa, & parti notificata, statutus sit, & esse intelligatur ipso iure terminus sex dierum vtilium deliberandi, & respon-

dendi dictę petitioni, quo termino elapso, siuè responderit, & litem contestatus fuerit, siuè non comparuerit, habeatur lis pro contestata. Et si responderit, quòd non teneat rem petitam, tunc lis non contestetur, sed contra eum procedatur prout continetur in statuto, quod incipit, Item Statutum est, ꝙ quilibet possit petitionem suã augere, &c. Et similiter vbi per viam contradictionis extra ordinem proceditur, si in dicto termino non fuerit responsum, nec contradictum per reum, contra ipsum procedatur, prout de iure erit procedendum, & responsio, & litis contestatio possit fieri præsente, & absente parte, & ipsa citata, & non citata, & absente, & præsente Domino Potestate. Et saluo, quòd quamcùnque exceptionem, quæ aliâs de iure excluderetur per litis contestationem, possit in termino suprascripto sibi saluam fore protestari, etiam in genere, qua protestatione facta exceptio salua sit, nec eidem per litis contestationem in aliquo præiudicatum esse intelligatur.

Rubrica, de termino ad probandum, & iura producendum, & responsione positionum.

concordat ss qua petio ne con stitutionū dom. Mediolani de iudici

ET elapso dicto termino respondendi, vel contradictione facta, vel parti notificata, vbi viam extra ordinem, contradictionis, vel comparitionis proceditur. Statutus sit, & esse intelligatur termin⁹ quindecim dierum vtilium vtrique parti, videlicet, actori, & reo excipiendi, opponendi, petendi, & probandi per omne genus probationis, ac producendi, & ostendendi quicquid prædictæ partes, & quælibet earum voluerint in dicta causa, ipsoq; termino elapso, statìm quæcunque allegata, producta, & ostēsa in dicto termino probatorio, intelligatur ipso iure, & sint publicata, ita quòd de eis fiat copia si fuerit requisita. Et quòd quibuscunque positionibus quas fieri contigerit in

qua-

quacunque causa, teneatur pars respondere infra terminũ sibi per præfatum Dominum Potestatem assignatum, clarè, & apertè, affirmando, vel negando, de scientia, vel credulitate, sine vlla conditione, vel protestatione. Alioquin responsio aliter facta pro non facta habeatur. Et quòd in dicto termino quindecim dierum, & quocunque alio termino statuto, vel statuendo ad instrumenta, & iura, & cartas, & scripturas producendum, ipsa instrumenta, cartæ, & iura produci possint absente parte, & Iudice. Et earum productio teneat, dum tamen deponantur penes notarios officij, apud quos stare debeant vsque ad finitum tempus probandi, & reprobandi, exceptis tamen libris statutorum, & alijs actis publicis communis Casalis maioris, de quibus sufficiat solam facere mentionem in iurium productione, & quòd pars velit eis vti.

Rubrica, de termino ad reprobandum.

ET immediatè post ipsum terminum, statutus sit, & esse intelligatur vtrique parti terminus decem dierũ vtilium reprobandi, & impugnandi quæcunq; producta, probata, & ostensa in dicto termino probatorio. Et si aliqua partium in dicto termino reprobatorio produxerit articulos, vel capitula tendentia ad reprobandum probata, & producta per alteram partem in primo termino probatorio, tũc liceat illi parti, contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri, cuius interfit, coadiuuare, & corroborare per legitimas probationes probata, & producta in dicto termino, quo termino reprobatorio elapso, quæcunque agitata, & producta in ipso termino, sint, & intelligantur ipso iure publicata. Et de ipsis fiat copia vt supra.

Rubrica, quòd Exceptiones, de quibus non ſit cognitum, nec deciſum, ſint ſaluæ in fine.

ITem Statuitur quoque, quòd omnes exceptiones, replicationes, duplicationes, & triplicationes declinatoriæ, dilatoriæ, vel peremptoriæ, & cæteræ cuiuſcunque generis ſint, de quibus non ſit cognitum, & deciſum inter partes, ſaluæ ſint vtrique parti in fine litis, tempore diſputationis, dummodo proteſtatum ſit tempore litis conteſtatæ, vel cõtradictionis, vel exceptionis oppoſitæ, quod ſint ſibi ſaluæ etiam in genere, ne ob hoc cauſæ proceſſus differatur. Quæ quidem exceptiones declinatoriæ, dilatoriæ, & peremptoriẹ, & ſimiles reiectẹ eſſe intelligantur, etiam ſi de ipſis ſpecialiter in ſententia, vel pronuntiatione ferenda ſuper cauſa principali non fuerit facta mentio, teneatur tamẽ Iudex ad inſtantiam partis alterius partium, ſi tempore ipſius exceptionis propoſitæ petitum fuerit, & non aliter, decidere, & terminare, quamcunque exceptionem declinatoriam, dilatoriam, & peremptoriam oppoſitam contra proceſſum, & hoc infra dies decem à die exceptionis propoſitæ abſq; conſilio ſapientis, vel cum conſilio ſapientis infra tempus prædictum, & in omnibus, & per omnia, pro vt in ſtatutis loquentibus de articulis eleuatis terminandis continetur. Et quòd à ſententia lata ſuper dicta exceptione, appellari non poſsit, nec poſsit dici nulla, ſi ſit petitum conſilium ſapientis, & non datum expenſis petentis. Quo caſu talis exceptio ſalua ſit tempore diffinitiuæ ſententiæ.

Rubrica, de Articulis, & Exceptionibus.

ITem Statutum, & ordinatum eſt, quòd in cauſis ciuilibus facto, & eleuato articulo, & eidem articulo contradicto per aliquam partium, quòd illa quæſtio, & ille articulus debeat

beat terminari antequàm alia exceptio in dicta causa fieri possit, seu de nouo fieri, vel leuari, seu proponi in dicta causa, vel lite. Et quòd nullus alius articulus, nec aliqua alia exceptio possit opponi, vel fieri, vel proponi, nisi dictus primus articulus, & exceptio, seu quæstio pendens à dicto primo articulo fuerit terminata, & sopita, vel nisi eidem articulo renunciatum fuerit per partem, quæ illum articulum fecerit, vel leuauerit, & factus, & proposit⁹ aliter, nullius sit momenti. Et quòd probationes, & instrumentorum productiones, & ea, quæ occasione prædictorũ occurrent fienda, possint fieri non obstãtibus articulis eleuatis. Et qđ articuli super quibus debebit fieri aliqua interlocutoria, scribãtur in actis, & aliter pro articulis, & scripturis non habeantur. Et quòd omnes sententiæ interlocutoriæ proferendæ super quibuscunque exceptionibus, seu articulis, tam ante diffinitiuam sententiam, quam post, terminari debeant per illum Iudicem, coram quo quæstio principalis ventilatur, absque consilio aliquorum sapientium, Et non obstãtibus aliquibus denuntijs, nisi fuerit de voluntate partium ambarum, quòd dicta quæstio terminetur de consilio sapientis, quo casu terminari debeat expensis partis perdentis tãtum. Et si vna partium tantum petierit, quòd dicta interlocutoria terminetur de consilio sapiẽtis, quod tunc dicta interlocutoria terminetur de cõsilio sapiẽtis, expẽsis partis petẽtis tantum. Et quòd Potestas teneatur in qualibet causa à libris decem Imperialibus supra, petenti consilium sapientis suis expensis dare, sub pœna librarum decem Imperialium, & refectionis damni, & interesse applicanda parti, quæ consilium suis expensis petierit. Et in prędictis casibus consilium sapientis super dicta quęstione debeat dari, & terminari infra dies decem à die commissionis de prædictis factæ computandos, quæ si non fuerit terminata infra dictum terminum decem dierũ, quòd tunc pro non proposita habeatur.

Et

Et quòd non obstantibus exceptionibus, articulis, & commissione factis de prædictis, Potestas possit procedere in causa,& ad diffinitionem sentētiæ,& quod in qualibet causa,exceptiones fieri possint absente & incitata parte contraria,& absente Iudice quæstionis,ita quòd ea die qua fuerint factæ,vel sequenti iuridica parti legitimè notificētur, & earum copia in scriptis mittatur, & dimittatur parti, vel in loco vbi citari potest.

Rubrica, de commissione quæstionis fienda vni Iurisperito, post terminum reprobatorium.

DEinde Iusdicens ordinarius,vel etiam delegatus,coram quo dicta quæstio, lis, causa, vel controuersia verteretur, teneatur, & debeat infra quinque dies vtiles immediatè sequentes, post dictum terminum reprobatorium,ad requisitionem dictarum partium, vel alterius earum committere ipsam litem, quæstionem, causam, vel controuersiam vni Iurisperito de confidentibus vtriusque partis eligendo. Et si qua pars recusaret dare, vel contumax esset in dando confidentes suos, & tot, quod vnus concordetur, tunc dictus Iusdicens committere debeat dictā quæstionem, litem, vel controuersiam vni ex confidētibus partis producentis confidenti, & non contumacis vt supra. Et quòd deinceps solummodo dentur confidentes, & non suspecti in qualibet causa.

Rubrica, quòd Commissarius acceptare cogatur, & de iuramento per eum præstando.

QVi Commissarius ipsam commissionem omnibus iuris remedijs statim acceptare cogatur, & delato sibi sacramento per Iudicem, iurare debeat ad sancta

ſancta Dei Euangelia corporaliter tactis ſcripturis, quòd recte, & iuſtè conſulet in cauſa ſibi commiſſa, Deum præ oculis ſemper habendo, eiuſque tremendum iudicium expectando, Et hoc etiam partibus abſentibus, quod ſacramentum in actis ſcribatur, vel de eo fiat publicum inſtrumentũ, nec poſſit aſſumi vltra vnum commiſſarium, nec ſibi dari debeat aliquis alius ſocius ad examinandum dictam quæſtionem, nec ad conſulendum ſuper ea, niſi fuerit de ambarum partium voluntate, nè partes vltra debitum vexentur laboribus, & expenſis.

Rubrica, de pœna partis omittentis producere coram Commiſſario proceſſus, & acta.

POſtea verò dictę partes ſtatìm compareant coram dicto commiſſario, & producant coram eo proceſſus, & omnia acta, & actitata, & producta in lite, & cauſa prædicta, infra talem terminum, quòd dicto commiſſario poſt productionem ad minus reſtent octo dies ad deliberandum, & conſulendum ſuper dicta cauſa, ſub pœna librarum decem parti omittenti producere vt ſupra.

Rubrica, de conſilio præſtando per Commiſſarium in ſcriptis ſuper quæſtione, & præſentando ad banchum iuris.

QVibus viſis, & diligenter examinatis per dictũ commiſſarium, & auditis allegationibus, quæ coram eo fieri voluerint partes, & earum aduocatos, teneatur, & debeat dictus commiſſarius conſilium ſuũ in ſcriptis, manu propria ſubſcriptum, ſuper quæſtione ſibi commiſſa tranſmittere, aut præſentare, vel præſentari facere Iuſdicenti, coram quo quæſtio prædicta verteretur, ante finem dicti termini dictorum dierum quinquaginta vtilium,

lium, de qua præſentatione fiat ſubſcriptio dicto conſilio manu notarij, per quem, & qua die præſentatum fuerit. Et idem fiat in actis dictæ cauſæ, ita quod Dominus Iuſdicens iuxta formam dicti conſilij poſſit, teneatur, & debeat ſuam diffinitiuam ſententiam proferre, & publicare ſuper quæſtione prædicta infra prædictum terminum, quæ pronunciatio, & publicatio facta eſſe intelligatur ipſo iure, ſi Iudex cauſæ omiſerit proferre, & publicare vt ſupra. Et ſi in aliquo vltra formã conſilij pronuntiauerit, talis pronuntiatio non valeat ipſo iure. Et quòd hora veſperarum vltimi diei quinquaginta dierum vtilium ſit, & habeatur pro peremptoria citatione ad ſententiam audiendam.

Rubrica, quòd Iudex cauſæ poßit abſque conſilio decidere quæſtionem, ſi fuerit de partium voluntate.

POſſit tamen Iuſdicens dictam quæſtionem cognoſcere, decidere, & terminare infra dictum terminum, & abſque alio commiſſario eligendo, ſi fuerit de ambarum partium voluntate. Et ſi infra dictum terminũ quinquaginta dierum vtilium prædicta quæſtio non fuerit terminata, inſtantia dictæ quæſtionis principalis, & alia quæ de iure communi propter lapſum inſtantiæ tantũ perimuntur, ſit perempta, & actio remaneat inconcuſſa actori, ſed ipſe actor ad inſtantiam rei condemnetur in expenſis factis per ipſum reum in dicta inſtantia.

Rubrica, quòd à ſententia poßit appellari præterquàm in caſibus prohibitis, & de commißione fienda per Poteſtatem vni Iudici de cauſa primæ appellationis.

LAta verò ſententia diffinitiua, vel facta terminatione, vel diffinitione ſuper quæſtiõe principali, poſſit pars

quæ

quæ ſuccubuerit,& quilibet alius, cui de iure liceat appellare,vel nullam dicere, infra terminum quatuor dierum continuorum à die latæ ſententię,& non vltra,ab ipſa ſentētia, vel diffinitione, ſeu determinatione appellare, vel nullam dicere ad Dominum Poteſtatem Caſaliſmaioris, vel alium Iuſdicentem,etiam ſi fuerit ille, qui dictam ſententiam tulerit,à qua fuerit appellatum,vel de nullitate dictum. Saluo tamen,quod in cauſis,& caſibus ſpecialibus, in quibus prohibita appellatio ſit,vel nullitas à iure communi,vel ex forma ſtatutorum,vel prouiſionum Caſaliſmaioris,non liceat appellare. Qui Poteſtas, ſeu Iuſdicens ea die, vel ſequēti iuridica debeat, & teneatur omnibus iuris remedijs cogere partes, inter quas dicta quæſtio agitatur, ad dandum confidentes ſuos pro committendo dictam quæſtionem,& cauſam appellationis, vel nullitatis, & reperto partium confidēte,teneatur,& debeat ipſam cauſam appellationis, & nullitatis committere dicto Iudici confidenti reperto audiendam,examinandam,& fine debito terminandam. Et ſi altera partium non comparuerit ad dandum confidentes ſuos in ſcriptis infra tempus ſibi ad hoc ſtatuēdum à Iudice, vel ſi comparuerit,& confidentes ſuos non dederit, tunc liceat dicto Poteſtati, vel Iuſdicenti committere dictam quęſtionem, & cauſam alteri ex confidentibus partis comparentis. Quiquidem commiſſarius habeat poteſtatem, auctoritatē, & iuriſdictionem, quam haberet, ſi à præfato Illuſtriſſimo Domino Domino noſtro foret ſpecialiter delegatus.

Rubrica, de modo, & ordine procedendi in prima cauſa appellationis.

QVa appellatione, vel nullitate interpoſita, & commiſſione facta, in ipſa procedatur coram dicto Iudice commiſſario dictæ cauſæ appellationis, & nullitatis

nullitatis hoc modo, & ordine, videlicet, quòd statim post ipsam commissionem infra tres dies iuridicos immediatè sequentes, teneatur appellans, vel nullam dicens coram dicto Iudice commissario petitionem suam in scriptis porrigere, & parti notificare personaliter, vel ad domũ. Quæ petitio qualiscũque sit, dummodo sit tolerabilis, admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure, Et nulla litis cõtestatio exigatur. Et delato sibi sacramento per dictum commissarium altera parte præsente, & absente incitata iurare debeat coram ipso Domino Commissario se non dolo, nec calumnia, sed iustã credens fouere causam appellasse, vel nullam dixisse, ac satisdare de restituendo alteri parti omnia damna, interesse, & expensas litis prædictæ, quę passa fuerit, & quæ taxata fuerint per dictum commissarium dictę causæ, si ipse appellans, vel nullam dicens succubuerit in ipsa causa appellationis, vel nullitatis, vel si ipsam appellationẽ, vel nullitatem non fuerit vsque ad finem prosecutus. Alioquin ipsi appellationi renuntiasse intelligatur, & prima sententia firma remaneat, & executioni mandetur.

Rubrica, de termino octo dierum vtilium statuto appellanti, & appellato, ad probandum in causa primæ appellationis.

POst quæ statim, & sine vllo interuallo statutus sit, & esse intelligatur appellanti, vel nullam dicẽti, & appellato, & contra quem, vel quos nulla dicitur, terminus octo dierum vtiliũ probandi, producendi, & ostendendi, tam super nullitate, vel iniquitate sententiæ, quàm alijs ad ipsam causam pertinentibus, quicquid ipsę partes, & quælibet earũ voluerit, ipsoq; termino finito, statim omnia agitata, producta, & ostensa in ipso termino, intelligantur esse, & sint ipso iure publicata, & de eis vtrique parti fiat copia, si fuerit requisita.

Rubrica,

Rubrica, de termino sex dierum vtilium statuto appellanti, & vtrique parti ad reprobandum.

SVccessiuè verò statim statutus sit, & esse intelligatur ipso iure vtrique parti terminus sex dierum vtilium reprobandi, & impugnandi, & excludendi quæcunque agitata, producta, & ostensa in dicto primo termino. Et si aliqua partium in dicto termino reprobatorio produxerit, articulos, vel capitula tendentia ad reprobandum probata, & producta per alteram partem in dicto termino probatorio, (quæ capitula, & articuli produci debeant per tres dies ante finem dicti termini reprobatorij parte præsente, vel legitimè ad hoc citata, & sibi de ipsis capitulis copia dimissa personaliter, vel ad domum, & postea produci non possint, nec admitti,) tūc liceat illi parti, contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri, cuius intersit, corroborare, & coadiuuare p legitimas probationes, probata, & producta in dicto termino, quo termino reprobatorio elapso, quælibet agitata, probata, producta, & ostensa in dicto termino, intelligātur, & sint ipso iure publicata, & de eis fiat copia vt supra. Et quòd omnes exceptiones sint saluæ in fine, & reiectæ intelligantur, vel vt supra, prout in ordine principalis causæ continetur.

Rubrica, quòd Commissarius quæstionis primæ appellationis, teneatur, examinatis, & auditis iuribus, & allegationibus partium, proferre sententiam diffinitiuam.

QVi Commissarius visis, & diligēter examinatis prędictis, et partium allegationibus auditis, teneatur, & debeat in dicto termino suam diffinitiuam sententiam proferre, & publicare super causa prædicta, &

hora vesperarum vltima diei dierum vigintiquinque vtiliũ limitatorum instantiæ primę appellationis, vel nullitatis, sit, & habeatur ipso iure pro citatione peremptoria ad sententiam audiendam.

Rubrica, quòd sententia lata in causa appellationis, in quantum, & quatenus prima sententia fuerit confirmata, non liceat amplius appellare, sed prout lata fuerit, executioni mandetur.

POstquàm verò lata fuerit dicta sententia in dicta causa appellationis, vel nullitatis, in quantum, & quatenus confirmata fuerit prima sententia in causa principali, non liceat amplius prouocare, nec appellare à dicta sententia, nec nulla dici, nec eidem aliqualiter contrairi, nec contra eam quicquàm excipi, vel opponi, sed prout lata fuerit, executioni mandetur omnibus iuris remedijs secundum formam statutorum loquentium de sententijs executioni mandandis, & etiam tam contra omnes tenentes, & possidentes bona, & res, quæ fuerunt dicti condemnati, & tenebantur, & possidebantur per ipsum, contra quem lata fuerit dicta sententia, tempore litis contestatæ, vel habitæ pro contestata ab eo tempore citrà, quemadmodum si sententia lata fuisset contra tenentem, & possidentem dicta bona, & res.

Rubrica,

Rubrica, de termino statuto ad appellandum in secunda causa appellationis super sententia lata in prima causa appellationis, si prima sententia fuerit annullata, vel reuocata, aut aliter reformata. Et quòd in causa ipsius secundæ appellationis procedatur, & termini limitentur, prout in causa primæ appellationis est expressum.

SI verò per sententiam latam in dicta causa appellationis, vel nullitatis fuerit dicta prima sententia annullata, vel reuocata, aut aliter reformata particulariter, vel in totum, tunc liceat succumbenti in dicta causa appellationis, vel nullitatis, & cuilibet alteri, cui de iure liceat appellare, vel nullam dicere, infra terminum quatuor dierum continuorum à die latæ sententiæ, & non vltra, à dicta tali sententia appellare, & nullam dicere ad eundem Dominum Potestatem, pro vt in prima causa appellationis est expressum, in qua causa appellationis procedatur, & esse intelligantur termini limitati in omnibus, & per omnia, prout in prima causa appellationis superius expressum est, mutatis mutandis, & congrua congruis referendo; Ita tamen, & hoc semper intellecto, quod dicta causa secundę appellationis infra restum dicti termini centum quinque dierum vtilium omnibus instátijs, tam principalis causæ, quàm appellationis, limitati vt supra, saluis temporibus ad appellandū deputatis, vigore præsentis statuti, decidatur, & fine debito terminetur, nec dictus terminus excedatur vllo modo. Quę sententia omnibus iuris remedijs, prout lata fuerit, executioni mandetur secundum formam statutorum loquentium de sententijs executioni mandandis.

Rubrica, de certis quæstionibus exceptatis, in quibus termini per Statuta limitati ad respondendum petitioni, ad probandum, & reprobandum, & alia, non habent locum.

VEruntamen, nisi fuerit de partium voluntate, statuta loquentia, quòd libellus, vel petitio porrigatur, quòd terminus trium dierum, vel plurium, statutus intelligatur ad respondẽdum petitioni, quòd terminus quindecim dierum vtilium, elapso termino respondendi petitioni, statutus sit reo, & actori ad probandum, & ad cætera, Et quòd terminus decem dierum sit statutus ad reprobandum, & ad cætera, Et disposita in ipsis statutis non vendicẽt sibi locum in quæstionibus datiorum, sed in eis pacta datiariorum, nec non statuta super ipsis edita inuiolabiliter obseruentur, nec etiam in causis, quæstionibus, & controuersijs motis, & mouendis occasione proclamationum, quę fiunt pro bonis vendendis ad cridas, vel accipiendis in solutum; Sed in ipsis seruentur prouisiones, & statuta super his specialiter edita, & termini statuti in eis. Nec non in causis, in quibus procedi potest breuiori via, quàm via præsentis ordinis iudiciarij, temporibus appellationum minimè cõputatis, per formam aliquorum statutorum; sed seruentur in eis statuta prædicta, vt breuius terminentur, ne partes expensis, & protelationibus litium nimiũ agrauentur. Nec etiam in compromissis factis, & fiendis in amicos communes de partium voluntate, aut ex dispositione alicuius statuti; ita tamen, quòd à qualibet sententia lata, præterquàm in casibus exceptis à iure, vel ex forma alicuius statuti, appellari possit, & de nullitate dici, & procedatur in ipsis causis appellationum, & nullitatis, modis, & formis, quibus superius dispositum est. Et saluo, quòd in quæstionibus, seu sententijs latis in quæstionibus librarum decem Imperialium, vel

vel rei tanti valoris,& ab inde infra,non poſſit per partes appellari, nec de nullitate dici. Et quòd in quæſtionibus in quibus per ſtatuta Caſaliſmaioris, vel per formam alicuius decreti præfati Domini noſtri procedi poteſt ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij debeant ſtatui termini per Iudicem cauſæ partibus,prout ei videbitur.Et per talem modum, & ordinem quod quinq; dies vtiles ad minus reſtent Iudici ad ferendum ſuam ſententiam diffinitiuam. Et quòd hora veſperarum cuiuslibet vltimi termini ſtatuti ad terminandum quæſtiones,vel controuerſias, habeātur pro citatione peremptoria ad ſententiam audiendam.

Rubrica, de termino ſtatuto abſentibus.

ITem Statutum eſt, quòd ſi de cætero contingat litem aliquam,vel quæſtionem,cauſam, ſeu controuerſiam moueri contra abſentem in longinquis partibus,vel extra territorium Caſaliſmaioris, Iuſdicens teneatur dare tali abſenti vt ſupra citato, vel citando, facta prius fide ſummatim, videlicet,per ſacramentum actoris, vel aliter de tali abſentia, terminum competentem ad comparendum, & ad reſpondēdum petitioni per ſe, vel legitimam perſonam, videlicet ſingulos dies pro ſingulis viginti miliaribus pro eundo, & totidem pro redeundo,ad reſpondēdum petitioni, & vltra arbitrio Iudicis, dummodo arbitrium Iuſdicentis non excedat vltra terminum vnius menſis continui, quo termino elapſo, & non ante incipiant currere tempora præſentis ordinis iudiciarij.

Rubrica, de modo tenendo in productione testium absentium, vel instrumentorum, quæ essent extra iurisdictionem Iusdicentis.

ITem Statutum est, quòd si aliqua partium voluerit producere in causa aliquos testes absentes, vel instrumenta, quæ essent extra iurisdictionem Iusdicentis, tunc nominatis prius dictis testibus, & instrumētis, (quibus semel nominatis nihil addi possit,) & facta fide sūmatim per sacramentum, vel aliter de huiusmodi absentia, & carentia instrumētorum extra iurisdictionem existentium, Iudici litis, prout sibi videbitur, & parte iurante ad sancta Dei Euangelia corporaliter tactis scripturis, quòd hoc nō facit, nec fieri petit dolo, nec calumnia, vel in fraudem, nec animo protelandi litem, sed putans ipsis testibus, & instrumentis indigere ad probationem iuris sui, eo casu assignetur, sibi per Iudicem litis terminus competens secundum distantiam locorum, & negotij qualitatem, infra quem dicti testes recipi, & examinari possint debita forma iuris, & eorum dicta Iudici litis solemniter præsentari, & ipsa instrumēta produci; In eo termino assignando vt supra, possit etiam altera pars ostendere, & ꝓbare de iure suo quicquid voluerit, quo termino pendente non currāt tempora suprascriptorum statutorū, nisi termini statuti ad probandum, quo ad testes, & alias probationes pręsentes.

Rubrica, de modo tenendo in quæstionibus mouendis contra minores, pupillos, furiosos, vel mentecaptos.

ITem Statutum est, quòd si deinceps contingat vllam litē, quæstionem, & causam, vel controuersiam moueri alicui pupillo, vel minori, vel furioso, uel mentecapto, aut simili personæ, tutore, vel curatore carenti, ne talis persona

remaneat

remaneat indefensa, ne vè ius suum pereat carentia legitimi defensoris, teneatur, & debeat agere volens contra aliquem ex prædictis, prius citare, & moneri facere aliquos ex eius proximioribus agnatis, si qui erunt præsentes, & si nõ adessent, aliquos ex proximioribus amicis, & vicinis eiusdem, & vna cum eis, vel saltem eis præsentibus, aut legitimè citatis instare, & requirere coram Iudice competẽti, quòd ipsi, contra quem ipsam litem mouere voluerit, detur, & decernatur per ipsum Iudicem cum opportunis solemnitatibus tutor, vel curator idoneus secundum cõditionem personæ, cui decernendus erit, generalis, vel saltem specialis ad litem prædictam, cum quo tutore, vel curatore possit iudiciũ inchoari, & qui iura illius, cui dabitur, defendere debeat. Qui Iudex teneatur infra triginta dies continuos à die requisitionis sibi factæ computãdos, prouidere de idoneo tutore, vel curatore vt supra, & ad dictam tutelam, seu curã, seu defensionem subeundam, teneatur compellere illos agnatos, cognatos, vel affines, prout ipsi Iudici videbitur.

Rubrica, de testibus cogendis ad iurandum, & testificandum: & de pœna ipsorum inobedientium.

ITem Statutum est, quòd in omni causa, omnes & singuli testes producendi per aliquam partium cogantur indilate per Iudicem litis realiter, & personaliter omnibus iuris remedijs ad iurandum de veritate dicenda, & veritatis testimonium perhibendum in dicta causa, sub pœna cuilibet inobediẽti librarum vigintiquinque Imperialium, & plus, & minus arbitrio Iusdicentis, inspecta qualitate facti, & cõditione personarum, cuius quidem pœnæ medietas Ducali Cameræ applicetur, & alia medietas parti ipsum testem producere volenti, quę pœna statim per Iudicem litis exigatur. Et si prece, vel precio, vel minis ipsi factis per partem aduersam

testis qui se offert ad testificand[um] [illegible] suspectus [illegible] quae omnia ff de Proc[illegible]: sed limitatur quando essemus in materia de peccato evitando quia tali in casu testis se offerendo creditur Bart. in l. post §§ his vero ff de tes. [illegible]

Testis in causa criminali etiam quod [illegible] tenetur reddere rationem sui dicti secus in causa civili Clarus §. fin. quaest. 53. in fine.

ſam noluerit venire ad teſtificandum, pars prædicta cuius facto ſteterit, ſuccumbat in cauſa.

Rubrica, de ſacramento præſtando Notarijs electis ad recipiendum teſtes.

NOtarij autem deputati ad recipiendum, & examinandum teſtes, ſtatim poſtquàm electi fuerint, cogantur acceptare, & iurare, etiam partibus incitatis, & abſentibus, vel præſentibus, coram Iuſdicente coram quo cauſa agitabitur, ad ſancta Dei Euangelia tactis ſcripturis, quòd teſtes producendos, benè, & diligenter examinabunt, & interrogabunt, eorumque dicta, & teſtimonia fideliter recipient, & ſcribent, & ſcribi facient pro vtraque parte, bona fide, & ſine fraude, omnique dolo ceſſante, eruẽdo ab ipſis teſtibus veritatem eius, quod ſciuerint de negocio, ſuper quo producti fuerint, cum interrogationibus debitis, & non ſuperfluis, nec cauiloſis, & non deuiando eos à tramite veritatis, & iuſtitiæ. Et quòd ſeruabunt ſtatuta ſuper prædictis edita, & non propalabunt, nec manifeſtabũt vllo modo directè, vel indirectè, verbo, nutu, vel oſtenſione, dicta teſtium alicui partium, nec alteri perſonæ, ſed ea tenebũt, & teneri facient ſecreta, donec fuerint publicata, quod quidem ſacramentum fieri debeat præſentibus partibus.

Rubrica, quòd depoſitiones teſtium remaneant penes Notarios, qui teſtes receperint, & ſcripſerint.

ITem Statutum, & ordinatum eſt, quòd depoſitiones teſtium in cauſa productorum, etiã cauſa terminata, apud Notarios, qui eorum dicta receperint, & ſcripſerint, etiam cauſa agitata, debeant remanere, cum acta ſua ſint. Et de eis partibus requirentibus, ipſis teſtibus publicatis, copiam facere

cere teneatur. Et quòd notarij prædicti nõ possint ipsas depositiones, & dicta testiũ originalia mutuare, nec dare partibus, nec earum procuratoribus, nec aliæ personæ, sed semper remaneant penes se. Et si non reperientur penes se, teneantur ad damnum, & interesse parti, quæ ipsos recipi fecerit, & vltra pœna sit Notario mutuanti librarum quinque, pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica, de instrumentis, & cartis in iudicio productis, iterum, & de nouo producendis.

ITem Statutum est, quòd quælibet partium, quæ in iudicio produxerit aliqua instrumenta, acta, vel scripturas, teneatur, & debeat non obstante productione semel facta, quandocunque ad instantiam partis, & cuiuscunque, cuius interest, eas, vel ea reprobare volentis, & iurantis se non dolo, nec calumnia, vel calumniandi causa hoc petere, instrumenta, acta, vel scripturas, quibus aliâs vsa fuerit, iterum, & de nouo producere, & in actis dimittere, & etiam parti petenti vt supra copiam facere, & ad hoc cogatur, & cogi possit per quemcunque Iusdicentem omnibus iuris remedijs, etiam per personalem detentionem.

imo copia instr[umenti] quo actor fundat intentionem ante litis contest: dari debet patenti ut delib: possit an sibi expediat litigare uel liti cedere ... extra de probat: . limitatur si actor iurare se no habuisse instrum[entum] in promptu tali in casu procedetur ad lit: contest: spec. in tit: de instru: ... sed nunc dicamus uera: quid si quis dixit?

Rubrica, quòd copia libelli, capitulorum, & positionum in scriptis detur, & de termino statuto correrio ad referendum.

ITem Statutum est, quòd copia libelli, seu petitionis, & capitulorum, & positionum detur, & dimittatur, & mittatur in scriptis parti, vel legitimè personæ pro ea, personaliter, vel ad domũ, vel in loco, vbi citationes fieri possint. Et quòd correrij earum citationum teneãtur facere relationes infra vnam diem vtilem, quas relationes facere debeant, tàm ad instantiam citati, quàm illius qui citari fecerit, sub

pœna

pœna librarum quinque Imperialium communi applicandarum. Et nihilominus teneantur ad restitutionem damni damnum passo exinde, & postea referri non possit in præiudicium citati.

Rubrica, de mandato producendo, & satisdatione præstanda in prima comparitione.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona interueniẽs in iudicio, alieno nomine, debeat in prima comparitione, penes ipsam comparitionem, producere, et deponere penes notarios officij mandatum suum per publicum instrumentum, vel idoneè satisdare, si defensorio nomine compareat, vel pronuntiatum fuerit per Iudicem habere legitimum mandatum, aliàs pro non legitima persona habeatur.

Rubrica, de capitulis porrigendis, & Notarijs ad receptionem testium eligendis.

ITem Statutum est, quòd in qualibet causa, capitula intentionum produci debeãt in scriptis, præterquàm in quæstionibus decem librarum, & àbinde infra, super eo, quòd partes probare velint per testes, quæ produci possint tã præsente, quàm absente, & parte incitata, & præsente, & absente Iudice, & in scriptis mitti debeant, vel in scriptis dictæ præsenti parti dari: Et Iudex teneatur quascunque interrogationes porrectas à parte corrigi facere, vel corrigere ea die, vel sequenti iuridica, qua citatus fuerit is, contra quem producentur capitula, ad ipsas faciendum, quo termino elapso, testes recipiantur per notarios ad hæc electos, prout eis videbitur, cum interrogationibus debitis, & nõ superfluis, secundum quòd in alio statuto suprapòsito loquente de interrogationibus, & de receptionibus testium continetur.

Ita

Ita tamen, quòd notarij electi ad testes recipiendum cōpellantur iuris remedijs acceptare, & testes recipere, qui notarij eligantur de confidentibus partium per Iudicem, vel per ipsas partes. Si verò vna partium absit, vel recuset dare notarios confidentes, quòd in locum partis absentis, vel recusantis Iudex causæ eligat vnum notarium, vel plures ad prædicta, qui notarij sic electi esse debeant in pari numero. Et quòd ad testium receptionem, eligi debeant duo, & plures ad instantiam partis producentis, secundum quòd Iudici videbitur.

Rubrica, de correctione, additione, & diminutione libelli.

ITem Statutum est, quòd quilibet possit petitionem suam corrigere, augere, & diminuere ex eadē causa infra dies quinque vtiles à die litis contestatæ computandos, in quo casu citetur reus ad correctionem, augumentationem, seu diminutionem. Et quòd actor, qui porrexit libellum, seu petitionem, teneatur dimittere ipsum libellum, seu petitionē notarijs officij, & ipsi notarij teneātur ipsum libellū, seu petitionē penes se tenere occasione emendandi, & videndi errores, si qui orirentur. Et anteq̄ respōdeat reus libello hypotecariæ, vel iure dominij, vel quasi, vel quolibet alio modo porrecto, debeat interrogari si tenet, & possidet petiam terræ, vel rem quæ petitur, per Iudicem, vel notarium officij, coram quo esset quæstio, & ipse teneatur respondere, & si non responderit, habeatur pro possessore, & possidere intelligatur in sui præiudicium. Et si responderit, quòd non teneat, nec possideat, tunc lis non cōtestetur, sed possessio detur per Iudicem, vel per officialem, coram quo erit quæstio, petenti in præiudicium respondentis se non tenere, quæ responsio si tenet, & possidet, vel non, fieri possit absente, & præsente

præſente parte,& pſente,vel abſente Iudice,vel officiale,vel parte contraria,& valeat,ac ſi facta eſſet præſente Iudice,vel officiale,vel parte contraria præſente. Quæ interrogatio facta eſſe præſumatur, ſi petitum fuerit in libello, vel petitione reum interrogari per Iudicem, vel notarium ſi tenet, & poſsidet id,quód petitum eſt.

Rubrica, de ſaximentis, & ſequeſtrationibus.

ET quòd poſt litem conteſtatam,ſequeſtrationes fructuum, & frugum poſsint fieri donec fuerit ſatiſdatum. Et ſaximenta bonorum forenſium poſsint fieri ad petitionem cuiuſlibet iuràtis ſe eſſe creditorem. Et quòd etiam ſaximenta, & ſequeſtrationes bonorum quarumcunque perſonarum, de quarum fuga iuratum fuerit ſuſpicari, poſsint fieri ad petitionem cuiuſlibet iurantis ſe eſſe creditorem quolibet die feriato, etiam introducto in honorem Dei.

Rubrica, quòd articulus non impediat proceſſum quæſtionis principalis.

ET quòd nullus articulus eleuatus in cauſa principali, impediat,vel impedire poſsit proceſſum principalis quæſtionis in totum,vel in aliqua ſui parte.

Rubrica, de electione fienda domicilij per non habitantem in terra, vel in diſtrictu Caſaliſmaioris.

ITem Statutum eſt,quòd quilibet non habitãs in terra,vel in diſtrictu Caſaliſmaioris comparens per ſe, vel alium non habitantem in terra, vel diſtrictu Caſaliſmaioris in iudicio,tam in agendo, quàm in defendendo, in prima comparitione teneatur ſibi eligere domicilium in terra Caſaliſ-

maioris

De iure com(mun)i et canonico [illegible] sequestratio ante latam sententiam prohibita est ut in textu l. unica C. de prohib. sequestr. pec. et extra ut lite pen. c. i. sed [illegible] adsunt multe limitationes quas vide in [illegible] et in pract. Pos. in forma sequestri in gl. sapiens; et ratio est quia nemini auferenda est commoditas possessionis que in fructuum perceptione consistit ante latam sententiam. vid. tex. in § retinende possessionis Inst. de interdictis

vid. Jo. Rey. Casalensis in suo tractatu de sequestro

maioris vbi citari posſit. Alioquin ſi de eo facta fuerit citatio,& in ſcriptis dimiſſa ad portam lodiæ,vel ſuper foro cõmunis,habeatur pro legitima citatione. Quæ electio domicilij ipſo iure habeat locum vſque ad diffinitam quæſtioné, tam pro appellatione,quàm nullitate. Et ſi eligens ſibi domicilium,ipſam limitauerit electionem, ipſa limitatio pro non facta habeatur, quæ electio vt ſupra fiat in actis penes primam comparitionem, & aliter facta non valeat.

Rubrica, quòd principalis, procurator, & alij, qui fuerint in cauſa à qua appellatur, poſſint citari in cauſa appellationis.

ET quicunque principalis, procurator, tutor, ſyndicus,actor,curator, vel alia perſona legitima,qui, vel quæ fuerit in cauſa,à qua appellatio,vel nullitas, vel contradictio extiterit interpoſita, citari poſſit in cauſa appellationis,nullitatis,vel contradictionis, & citatio de ipſis facta pro legitima habeatur, non obſtante aliqua reuocatione, quæ facta eſſet.

Rubrica, quòd capitula intentionum, & poſitionum ſint admiſſa, & de ſacramento calumniæ, & poſitionum reſponſionibus ad eas faciendis.

ITem Statutum eſt, quòd in qualibet cauſa à decem libris ſupra,debeant dari capitula intẽtionum ſuper eo, quod voluerint partes probare per teſtes, quæ capitula ſint admiſſa ipſo iure, Saluo iure impertinentium, & non admittendorum tempore diſputationis in fine.Et quòd etiã in qualibet cauſa quælibet poſitio admittatur, & eidem reſpondeatur liberè, ſaluo iure impertinentium tempore diſputationis. Et quòd ponens ponat ſacramento calumniæ omnes ſuas poſitiones, & reus ſimili ſacramento reſpondeat,facto

prius ipso sacramento per partes. Quam responsionem ille, contra quem facta fuerit positio, faciat infra terminum ad hoc sibi assignandum per Dominum Potestatem, & si non responderit vt supra, habeatur positio pro confessa. Et quòd possit responderi positionibus per partes, aduersa parte pręsente, & absente, & Iudice quæstionis præsente, vel absente. Et quod procurator agentis, & illius, contra quem positio fieret, possit respondere positionibus affirmando, vel negando, & exigere, & præstare sacramentum calumniæ, & positiones facere, quòd si non fecerit, habeantur positiones pro confessis. Saluo, quòd si Dominus responderit positionibus factis sine procuratore infra terminum prædictũ, sufficiens sit eius responsio, & non habeatur positio tunc facta procuratori pro confessà. Et si negauerit procurator positionem, possit peti, quòd principalis veniat responsurus positionibus, quem procurator faciat venire ea die, qua procurator ipse requisitus fuerit, vel sequenti iuridica, si in terra Casalismaioris sit, vel reperiri possit in dicta terra, & in districtu infra tres dies iuridicos, & si non comparuerit, positio habeatur pro confessa, nisi probauerit de iusto, & legitimo impedimento principalis per sacramentum procuratoris fiendum infra dictum terminum, cuius sacramento super hoc stetur. Quo casu Iudex debeat mittere vnum ex notarijs ad recipiendum sacramentum, & responsionem illius, & hoc si iri potuerit securè ad locum vbi sit ille, qui respondere debeat. Et si non posset iri, vel si esset extra districtum Casalismaioris, sufficiat sacramentum, & procuratoris responsio. Et quòd possit per Iudicem, vel officialem, coram quo facta fuerit positio, præcipi procuratori præsenti, vel absenti per nuntium, seu correrium, quòd faciat venire principalem responsurum positionibus, quòd si non fecerit, habeàtur pro confessis, &c. vt supra.

Rubrica,

Rubrica, de pœna negantis positiones filiationis.

ITem Statutum est, quòd nulla persona possit, nec debeat negare aliquem fuisse, vel esse filium, patrem, auum, vel legitimum, vel esse, vel fuisse ascendentem, vel descendentẽ alicuius, vel aliquem fore defunctum, dummodo non sit natus, vel defunctus extra terram, vel districtum Casalis maioris, de quo interrogatus fuerit, vel positum fuerit. Et si negauerit, & postea probatum fuerit illud, quod negatum fuerit, esse verum, negans condemnetur per iudicem eundem, coram quo fuerit negatum, in libris vigintiquinque Imperialibus, cuius pœnæ medietas sit communis, & alia aduersarij, & vltra ad restitutionem omnium expensarum, damnorum, & interesse, quæ ea occasione aduersarius passus fuerit. Et intelligatur negasse, qui responderit non credere.

Rubrica, quòd per comparitionem Domini, non intelligatur propterea reuocatus procurator.

ITem Statutum est, quòd si in aliqua quæstione, vel causa, Dominus comparuerit ad aliquem actum faciendũ, vel processum aliquem de nouo fecerit, non intelligatur propterea reuocasse procuratores suos, nisi eos expresè reuocauerit.

Rubrica, quòd sufficiat, si Correrius referat se portasse libellum, vel capitulum, vel aliam scripturam in actis scriptam tali die, vel tali loco, de quibus omnibus credi debeat Correrio referenti.

ITem ad euitandum expensas, Statutum est, quòd quãdo libellus, vel capitulum, vel alia scriptura mitti, vel admit

ti debeat alicui, vel in aliquo loco, vel aliquod prędictorum in ſcriptis, vel exemplũ, ſatis ſit, ſi correrius retulerit ſe portaſſe libellum, vel capitulũ, vel ſcripturam in actis ſcriptũ, vel ſcriptam, die tali qua prædicta ſcriptura ſit in actis, vel dimiſiſſe citato, vel ad locum, vbi poterat citari, vel correri⁹ retulerit ſe portaſſe ſupraſcriptum libellum, vel ſupraſcriptum capitulum, vel ſupraſcriptam ſcripturam, & eum, vel eam dimiſiſſe citato, vel ad locum, vbi poterat citari, dum tamen dicta relatio ſit ſcripta penes libellum, vel capitulũ, vel ſcripturam in actis poſitum, vel poſitam, de quibus credatur correrio referenti ſe prædicta feciſſe.

Rubrica, quòd credatur relationi Correrij, dato, quòd de commiſſione non appareat.

ITem Statutum eſt, quòd relationi cuiuslibet correrij referentis ſe in ſcriptis citaſſe, & in actis ſcriptæ, dato, quòd non appareat de commiſſione, credatur.

Rubrica, quòd ſcribatur in relatione Correrij dies qua fecit, quod retulit.

ITem Statutum eſt, quòd in relatione correrij ſcribatur dies, qua fecit quod retulit ſe feciſſe. Et ſi dies prædicta in ſua relatione non fuerit ſcripta, intelligatur illud feciſſe die relationis in actis ſcriptæ, quo ad numerum, & computum dierum vtilium, qui currunt, ſeu currere debent partibus, vel alicui partium.

Rubrica,

Rubrica, quòd citatio valeat, si quis citatus sit in platea, vel sub lodia communis Casalis maioris, dato, quòd in relatione non sit nomen viciniæ expressum.

ITem Statutum est, quòd si aliquis fuerit citatus personaliter in platea, vel sub lodia communis Casalis maioris, citatio valeat, & teneat de iure, dato, quòd in relatione non sit expressum nomen viciniæ, cum ipsa loca sint notoria.

Rubrica, de citatione fienda de Vniuersitate, Collegio, vel Corpore.

ITem Statutũ est, quòd si Vniuersitas, Cõmunitas, Collegium, vel Corpus aliquod citari, vel requiri cõtingat, citatio legitima esse intelligatur, & valeat, & teneat de iure, si correrius retulerit se citasse publicè, & alta voce vniuersitatem, communitatem, collegium, vel corpus in loco, vbi dicta uniuersitas, communitas, collegium, vel corpus congregari consueuerunt pro negotijs ipsarum vniuersitatis, communitatis, collegij, vel corporis, uel aliquos de dictis uniuersitate, communitate, collegio, vel corpore ad minus vsque ad quantitatem quatuor personarum dictorum uniuersitatis, communitatis, collegij, uel corporis, etiam si ipsas personas quatuor singulariter citauerit, de quibus omnibus credatur correrio prædicta se fecisse referenti.

Rubrica, quòd iudicium factum valeat cum filiofamilias, si fuerit pater citatus ad consentiendum, & non venerit in termino assignato.

ITem Statutum est, quòd si pater ad instantiã alicuius personę uolentis agere, uel aliqualiter experiri cum filio, uel

filiafamilias,fuerit citatus perſonaliter,uel ad domum ut ueniat ád conſentiendum filio,vel filiæ in ius vocato,ſeu vocatæ,vt eſſe poſſit in iudicio,infra terminum ſibi ſtatutū non venerit,& ſi venerit,& conſentire noluerit, quòd pro conſentiente habeatur ad hoc,vt teneat,& valeat iudiciū,quod poſtea cum filio,vel filia,vel contra filium,vel filiam fiet, ac ſi expreſsè ipſe pater conſenſiſſet. Et prædicta locū habeant in filijs,vel filiabus maioribus,qui egreſſi,ſeu egreſſę fuerint pupillarem ætatem.

Rubrica,quòd victus victori condemnetur in expenſis, etiam in caſu quo conſilium detur expenſis petentis.

ITem Statutum eſt, quòd ſi quo caſu conſilium detur aliquod expenſis alicuius petentis tantum, quòd eo caſu, quo petentes conſilium cōtigerit obtinere, vel ſuccumbere, nihilominus victus victori condemnetur in expenſis. Saluo, quòd ſalarium conſultoris ſit,& eſſe intelligatur expenſis petentis tantum,& commiſsio,& lectura conſilij. Et quòd expenſæ factæ in actis ſententiarum exigi poſſint in executione ſententiæ.

Rubrica,quòd conſilium in termino publicatum,intelligatur datum,& miſſum in termino.

ITem Statutum eſt,quòd quotienſcunque aliquod conſilium reperiatur publicatum in termino ſtatutorū communis Caſaliſmaioris, intelligatur datum, ſiuè miſſum in termino Iudici cauſę,Eſto quòd de datione,vel miſſione conſilij aliter non appareat.

Rubrica,

Rubrica, quòd statuta loquentia de ordine procedendi in causis, locum habeat in causis factis, & pendentibus etiam per appellationem.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd omnia, & singula suprascripta statuta loquentia de modo, & ordine procedendi in iudicijs, tam principalis causæ, quam appellationis per partes litigantes, & de modo, & ordine tenẽdo per Iudices, notarios, & correrios in dictis causis, locum habeant in causis, & quæstionibus futuris, & pendentibus etiã per appellationem, secundum quòd ad actus fiendos dictis pendentibus, & futuris adaptari possint.

Rubrica, de Ferijs.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd ius reddatur continuè. Saluo, quòd non reddatur ius temporibus messium, videlicet à medio mense Iunij vsque ad medium mensem Iulij, nec temporibus vindemiarum, nũdinarum, & recollectionis croci, vel zafrani; videlicet à vigilia Dominæ Sanctæ Mariæ de mense Septembris, vsque ad medium mensem Octobris, nec in festiuitatibus Dominæ Sãctæ Mariæ Virginis, nec à vigilia Sancti Thomę Apostoli vsque ad festum Sancti Christophori inclusiuè, nec die carnispriuij, nec sequenti, nec diebus Dominicis, nec quindecim diebus Paschalibus, nec in die Penthecostes, nec duobus diebus sequentibus, nec in festiuitatibus duodecim Apostolorum, videlicet Sancti Petri de Iunio, Sancti Iacobi de Iulio, Sãcti Bartholomæi de Augusto, Sanctorum Symonis, & Iudæ de Octobri, Sancti Andreę de mense Nouembris, Sancti Matthæi de Februario, Sãctorum Iacobi, & Philippi de Madio, nec Sancti Ioannis Baptistæ de Iunio, nec die Ascensionis

Domini

Domini nostri Iesu Christi, nec diebus Euangelistarũ, Sanctorum Lucæ de mense Octobris, & Marci de mense Aprilis, nec in die Sancti Ambrosij, nec in die Sancti Pauli de mense Ianuarij, nec in die S. Mariæ Magdalenæ, nec in diebus Sanctorum Laurentij, & Georgij, ac corporis Christi. Ac in die sanctæ Agathæ, nec in die Sancti Antonij de Ianuario, nec in die omnium Sanctorum, nec in die sequenti, nec in festiuitatibus Sanctæ Catherinæ, & Sancti Blasij, ac Sãcti Nicolai, nec in festiuitatibus Sãctæ Crucis de mensibus Maij, & Septẽbris, nec in die Sãctæ Mariæ de la Niue. ¶ Saluo, quòd tempore messium, vindemiarum, nundinarum, & recollectionis zafrani possit, & debeat reddi ius de denarijs, cibi, & potus, & mercedum detentorum, & carceratorum, & miserabilium personarum. Et de denarijs mutuatis in exercitibus; & de caualcatis, & de saximentis, & sequestrationibus, quæ saximenta, & sequestrationes fieri possint quolibet die solemni; & de executionibus sententiarũ; & condemnationum, & de quæstionibus tenutarum acceptatarum de bonis nõ contumacium, & non citatorum, & de pignorationibus, & quęstionibus forensium, siue agant, vel conueniantur; & de quęstionibus pensionum domorũ, posturarum, & vecturarum; & de quæstionibus occasione locationum, & conductionum rerum, agrorum, & terrarum, vertentibus inter locatores, & eorum hæredes, & habentes causam ab eis, & de confinibus; & de quæstionibus pontium, & viarum, ac puteorũ, de quibus omnibus, & singulis suprascriptis possit cognosci, & terminari quolibet tẽpore feriato, dum tamen non sit in honorem Dei, & summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij. Et prædicta locum habeant in præsentibus, & futuris.

Rubrica,

Rubrica, quòd Forenses, & non possidentes immobilia, debeant satisdare.

ITem statutum est, quòd quęlibet persona, quodlibet collegium, corpus, & vniuersitas, quę, vel quod non subiaceant iurisdictioni communis Casalismaioris; Et quęlibet persona, quæ non possidet immobilia in terra, vel in districtu Casalismaioris, non audiatur in aliqua causa, nisi idoneè satisdederit, de restituendis expensis, & iudicatum soluendo, si succubuerit in causa, tam in agendo, quàm defendendo, & non prosit releuatio facta ab onere satisdandi per prędictos, quominus satisdare teneantur. Quæ satisdatio possit peti, & fieri in quacunque parte Iudicij. Et si petitum fuerit parte pręsente, vel ad hoc citata, & satisdatum non fuerit infra quintam diem à die petitionis, non valeat processus post ipsam petitionem subsecutus in fauorem satisdare debentis. Et hoc locum habeat in præsentibus, pręteritis, & futuris, Et probatio quòd possideat immobilia incumbat alleganti se immobilia possidere.

Rubrica, quod Mulieres in iudicio debeant satisdare.

ITem Statutum est, quòd aliqua mulier non possit esse in iudicio in agendo, vel defendendo per se, vel procuratorem, vel aliam personam nisi infra quintam diem, à die petitionis satisdederit, de iudicatum soluendo, & expensis restituendis, in actis, per se, vel per alium habentem ad hoc speciale mandatum, vel constituendo se principalem debitorem pro ea, & dando fideiussorem, si & quandocunque petitum fuerit, clarè, & apertè in actis, pręsente, vel ad hoc legitimè citata parte contraria, & non prosit releuatio facta ab onere satisdationis per dictam mulierem, quominus satisdare

dare teneatur dicto modo. Saluo, quòd hoc locum non habeat in mulieribus, quæ peterent quantitatem quinque librarum, vel abinde infra, vel à quibus peterentur. Et si aliter processum fuerit, postquàm petitum fuerit in actis clarè, & aperte, processus ipso iure valeat in vtilitatem petentis satisdari, & non in vtilitatem satisdare debentis. Et nihilominus iuris remedijs compellatur ad satisdandū secundum formā præsentis Statuti. Et hoc locum habeat in pręsentibus, & futuris.

Rubrica, de his, qui in iudicio esse possunt.

ITem Statutum est, quòd filiusfamilias, & quilibet homo liber existēs in potestate aliena, possit procuratorio, syndicario, actorio, et curatorio nomine esse in iudicio sine consensu patris, & eius, in cuius potestate sit, dum tamen sit maior decem & octo annis. Et quòd quilibet maior decem & octo annis in sua potestate constitutus, per se, & per procuratorem possit esse in iudicio.

Rubrica, quod quilibet Forensis possit conueniri.

ITem Statutum est, quòd quilibet Forensis possit conueniri in terra Casalismaioris per suppositos iurisdictioni D. Potestatis, & cōis Casalismaioris, pro quolibet contractu, vel quasi, facto in dicta terra, uel districtu, vel alibi quacunq; occasione. Et quòd quilibet Forensis, tam in agendo, quàm in defendēdo possit vti statutis cōis Casalismaioris disponentibus de ordine processus. Saluo si essent tales Forenses, qui conduxissent victualia aliqua, & eis quæstio moueretur de ipsis victualibus, vel ipsi alijs mouerent, quòd tunc fiat eis ius breuiter, & sūmatim, & sine strepitu, & figura iudicij, & non seruatis solemnitatibus aliorum Statutorum. Et appellari non possit à sententijs latis super ipsis victualibus,

ctualibus, Et idem habeat locum in bubulcis victuralibus, & nautis Forensibus de suis vecturis, & mercedibus, Et in quæstionibus forensium decem librarum Imperialium, & ab inde infra.

Rubrica, quòd aliquis non possit pignorari, nec detineri die Feriato. Saluo, quòd debitores Forenses capi, & detineri possint.

ITem ꝙ aliq̃s non possit pignorari, capi, nec detineri die feriato introducto in honorem Dei pro debito ciuili, dato quòd sententia pignorandi, & detinendi fuerit data die iuridica, Et si fuerit captus relaxetur, & relaxari debeat de carceribus, & pignora debeant restitui sine aliquibus expensis, & saluo quòd debitores forenses, & quicunque alij, de quorum fuga iuratum fuerit suspicari, capi, & detineri possint qualibet die.

Rubrica, quòd in qualibet cancellatura scribatur nomen Iudicis, & Notarij, & in qualibet scriptura actorum ponatur mensis, & dies, cum nomine, & numero.

ITem Statutum est, quòd in qualibet cancellatura cuiuslibet scripturæ actorum super ipsa cancellatura actorum scribatur nomen notarij, qui cancellauerit, & nomen Potestatis, vel Iudicis, vel officialis cuius mandato fuerit cancellata scriptura prędicta, similiter ponat notarius maleficiorum indictionem, diem, & testes. Et similiter quòd in qualibet scriptura actorum ponatur dies, & mensis cum nomine diei, & mensis, cum numero dierum mensis. Et si erratũ fuerit in nomine, vel numero diei, seu omissum, notarius actorum teneatur, & debeat dictum errorẽ corrigere, & si omissum fuerit ponere, vel supplere. Et hoc in quacunque parte litis vsque ad sententiam, quos facere recusauerit notarius,

tarius, teneatur ad interesse parti ex hoc læsæ, maximè cum talia de iure spectent ad ipsum notarium.

Rubrica, de citationibus incertorum, & de processibus contra contumaces.

ITem quia agere volens, vel volens aliquem citari facere, quandocunque dubitabit vtrum viuat ille, cōtra quem agere intendit, vel quem citari facere intendit, vel mortuus sit, & per consequens ignoret hæredes eius, & etiam quomodocunque scit talem personam esse defunctam, sed ignorat quis sit hæres eius; Ideò Statutum est, quòd si Iusdicens commiserit alicui correrio, quòd vadat, & requirat talem si viuit, & si mortuus est, omnem eius hæredem, vel quòd vadat, & requirat omnem hæredem talis defuncti ad terminum per Iusdicentem statuendum, quòd veniat ad respondendum de iure tali facienti eum citari, vel ad contradicendum alicui actui, vel ad sic faciendum, vel ad aliquid simile, & correrius retulerit se publicè, & alta voce citasse vt supra, vel prout in mandatis habuerit, vel per similia, commissio, & citatio talis valeat, ac si persona hæredis esset specialiter nominata, dum tamen citatio fiat ad domum solitæ habitationis personæ sic citatæ, vel ad domū solitæ habitationis defuncti, quando eius hæres citatur per modum suprascriptum, qua citatione sic facta, si citatus in termino non comparuerit per se, vel per legitimam personam, habeatur pro contumace, & tanquàm contra contumacē possit procedi. Possit etiam Iudex decernere actorem, seu legitimam personam pro eo mittendam fore in possessionem tædialem bonorum citati, & procedere ad faciendum refici instrumentum, & similia.

Rubrica.

Rubrica, de bonis contumacium æstimandis in solutum dandis, & de modo recuperandi ipsa bona.

ITem Statutum est, quòd si creditor fuerit missus in posses sionem tędialem bonorum citati, vel si citatum propter contumaciam pignorari fecerit, & vlterius procedere voluerit, possit denuntiare debitori suo, quòd debeat coram Iudice comparere, & eius contumaciam purgasse, & recuperasse rem, in cuius possessioné missus fuerit, vel de qua fuerit pignoratus, infra decem dies, quæ denuntia fieri debeat per publicum instrumentum, & eius copia dimitti debeat debitori personaliter, vel ad domum, vel in loco vbi ex forma præsentium statutorum fieri possit. Et si dictus debitor non comparuerit, & dictam rem non recuperauerit infra dictum terminum, possit creditor eligi facere tres bonos viros habentes terras, domos, vel possessiones in terra, vel contrata, in qua sita sit res, vel tres bonos viros expertos in æstimationibus rerum, qui tres boni viri æstimare debeant ipsam rem bene, & dilligenter, & sine fraude, qui tres boni viri eligi debeant per Iudicem infra tertiam diem, postquàm ad hoc fuerit requisitus, qui æstimatores cogantur iuris remedijs acceptare, & iurare quod bona fide, legaliter, & sine fraude facient dictã æstimationem. Et quòd ipsam extimationem facere debeant infra decem dies, ex quo electi fuerint, & acceptauerint, æstimando quálibet rem de per se, seu ad perticam, vel mensuram. Et facta dicta æstimatione possit creditor petere res pignoratas, vel in quarum possessione inductus fuerit, vel aliquas ex eis quas eliget sibi tradi in solutum per Iudicem pro debito, & expensis; quę datio insolutum fieri debeat ipso creditore prius liquidante debitum, ad quod debitum liquidandum procedatur hoc modo videlicet. Quod creditor producere debeat coram

Iudice capitula intentionum, per quæ probare voluerit intentum ſuum per teſtes, ſi per teſtes probare voluerit, vel producere inſtrumenta, vel alia iura, ſi qua habet, per quæ velit dictum debitum liquidare, mittendo, & dimittendo ipſa capitula in ſcriptis debitori perſonaliter, vel ad domũ, vel in loco vbi poterit citari,& faciendo ipſum citari, quòd veniat ad faciendum interrogationes ſuas ſuper capitulis, & ad dandum confidentes ſuos notarios pro notarijs eligẽdis pro receptione teſtium, & ad videndũ iurare teſtes producendos per creditorem,prout in alio ſtatuto loquente de capitulis, & notarijs eligendis continetur, quæ omnia hic intelligantur repetita, & quòd teſtibus ſuper dictis capitulis ſic productis,& receptis,dicta,& atteſtationes eorum, & quæcunque in cauſa prædicta facta, & actitata fuerint, habeantur ipſo iure pro publicatis abſque miniſterio Iudicis, elapſo prius termino probãdi, qui ſtatutus eſſe intelligatur ipſo iure de quindecim diebus vtilibus connumerãdis à die petitionis dicti dati in ſolutũ,quo termino quindecim dierum utilium elapſo, ſi conſtat Iudici de liquidatione debiti per probata, & producta in dicto termino, debeat dare, & tradere dicto creditori in ſolutum pro debito, & expenſis, dictam rem,vel illam,vel illas ex eis, quæ capient quantitatem debiti liquidati,& expenſãm,eligendam, vel eligendas per creditorem in dicta ſua petitione. Et teneatur eligere creditor pro eius debito vnam rem, ſeu petiam terræ tantũ, ſi vna ſola erit ſufficiens ad ſatisfactionem debiti ſui, & expenſarum factarum per eum,& non in pluribus rebus,& teneatur creditor reſiduum reſtituere debitori. Et ſi res minꝰ debito, & expenſis fuerit extimata, ſit ſaluum ius creditori contra debitorem,et in bonis eius pro reſiduo.Poſſit tamen debitor res electas,& in ſolutum per Iudicem datas recuperare, ſi mobiles ſunt infra decem dies, & immobiles infra annum à die extimationis de rebus factæ computandum,ſi
debitum

debitum cum expensis soluat, vel paratum soluere se offerat cum effectu creditori, Sed creditor non possit res, in quarum possessione inductus fuerit, deteriorare, & fructus, & pensiones, quos, & quas percipiet per se creditor, & percepit, sibi in debito computentur.

Rubrica, quòd omnis citatio, & possessio tædialis possit fieri die feriata.

ITem Statutum est, quòd tædialis possessio, & quælibet inductio in possessioné, & omnis citatio posit fieri die feriata, dum tamen cōmissio facta fuerit die iuridica. Et cuilibet relationi correrij in actis scriptæ stetur, & fides adhibeatur, dato quòd non appareat de commissione.

Rubrica, de possessione tædiali alicuius rei prohibitæ alienari.

ITem Statutum est, quòd ille, qui habuerit tædialem possessionem alicuius rei non possit ipsam rem vendere, vel alienare, vel in alium transferre in præiudicium eius, contra quem data fuerit tædialis possessio, vsque ad annum. Et si contra prædicta fecerit, & ille, in cuius præiudicium data fuerit, infra tempus prędictum comparuerit, & contumaciam suam purgauerit, & expensas refecerit. Ipsa tędialis possessio reuocetur, penes quemcunque peruenerit, non obstāte illa alienatione, vel translatione. Et ècontrario ille, in cuius præiudicium data fuerit tædialis possessio, non possit ipsam rem alienare, vel in alium transferre, postquàm ipsa tędialis possessio data fuerit, & talis alienatio non valeat, & intelligatur persona conuenta possidere, & in futurum possidere vsque ad tempus sententiæ latæ de prædictis, quæ possidebat tempore conuentionis, & contra eā possit fieri executio sententiæ latæ per Iudicem, ac si possideret, & etiam

contra possessorem, qui emisset, vel habuisset, vel accepisset dictam rem modo aliquo post dictam contentionem.

Rubrica, de pœna prohibentis missum in possessionem tædialem stare in possessionem, & non permittentis aliquem induci in possessionem in executione sententiæ.

ITem Statutum est, quòd si aliqua persona prohibuerit aliquam personam missam in possessionem tędialem stare in ipsa possessione tædiali, soluat pro banno solidos viginti Imper. nisi docuerit infra octo dies cõputandos à tempore termini sibi statuti per Iudicem ad probandum se iustè prohibuisse. Et si hęc non docuerit, tædialis possessio manuteneatur ipsi misso in possessionem per Iudicem, & restituat expensas illi, qui dictam possessionem tædialem habuerit factas in ipsa tædiali possessione, & expeditione illius talis possessionis. Si vero aliquis non permiserit personam induci in possessionem alicuius rei in executione sententiæ, & talis persona prohibens non probauerit infra decẽ dies se iustè prohibuisse, soluat pro pęna solidos centum Imper. & expensas. Et nihilominus executio fiat, & in possessione defendatur inductus, & ipsi prohibenti silentium imponatur.

Rubrica, de termino decem dierum statuto comparenti ad defensionem tenutæ.

ITem Statutum est, quòd si data fuerit tenuta alicui creditori, vel alteri personæ de re, quæ dicatur esse debitoris sui, vel ad se pertinere, et spectare, Et aliquis comparuerit ad defensionem dictæ tenutæ, dicens dictã tenutam dari non potuisse in sui pręiudicium, & reuocari debere, teneatur, & debeat probasse de iure suo infra decem dies vtiles à die con-

tradictionis,

dictionis,& defendere dictam tenutam, & iudicium sub illo Iudice, sub quo data fuerit dicta tenuta,& sub alio Iudice ventilari non possit.

Rubrica, de nominantibus aliquem in iudicio.

ITem Statutum est, quòd si aliquis conuentus in iudicio nominauerit aliquem in iudicio non subiectum iurisdictioni Domini Potestatis,& communis Casalis maioris pro Domino,vel possessore, quòd talis nominans teneatur probare, & habere probatum infra decem dies à die termini sibi dati per testes omni exceptione maiores, qualiter talis nominatus tenebat, & possidebat rem super qua facta erit nominatio tempore nominationis, & ante per decem menses,quòd si non probauerit,talis nominatio ipso iure sit nulla,& possessio rei auferatur nominanti, & transferatur in actorem,& compellatur ad transferendum possessionem, si ipsam possessionem ipse nominans tali non subiecto transtulisset. Et si restituere nō possit,compellatur ad prętium, seu extimationem,& vltra ipse nominans ipso facto puniatur in libris vigintiquinque Imperialibus, cuius pœnæ medietas sit communis Casalis maioris, & altera medietas applicetur actori, & intelligatur esse iudicium quoad præmissa,postquàm citatus fuerit reus.

Rubrica,de iuribus rei examinandis,cum iuribus actoris.

ITem cum multotiens agant creditores in hypothecaria contra possidentes, & qui possidentes se etiam asserunt esse creditores,& se offerunt paratos, quòd iura sua examinentur cum iuribus agentis,& agentes prædicti recusent,& in quæstione procedant, pro communi vtilitate Statutum,

& ordinatum est, quòd si conuentus in hypothecaria obtulerit se paratum, quòd iura sua examinentur cum iuribus agentis, & iura sua deposuerit coram Iudice, vel officiale, coram quo erit quęstio, & agens recusauerit, vel contempserit producere instrumenta, & iura sua, & in causa processerit, quòd talis conuentus in expensis minimè condẽnetur, sed potius agens ad expensas se offerẽtis factas, à die oblationis prædictæ, penitus teneatur. Et idem ius seruetur, & fiat etiã actore offerente vt supra, & reo recusante.

Rubrica, quòd appellari possit per Dominum, si Procurator non appellat, & quòd Domino non obsit contumacia, vel negligentia Procuratoris.

ITem cum in causis, quæ coram Domino Potestate ventilantur, multotiens domini per procuratores decipiũtur, qui procuratores citantur ad sententiam audiendam, & ire ad sententiam omittant, per quod Domini dicuntur verè contumaces, & ab appellatione excluduntur, Idcircò ne dolus, nec negligentia procuratoris Domino noceat, Statutũ est, quòd si Procuratores, Syndici, seu Curatores fuerint personaliter citati ad sententiam audiendam, & nõ iuerint, nihilominus Dominus, vel suus Procurator appellare possit, non obstante contumacia dicti sui Procuratoris, Syndici, vel Curatoris, Si verò Dominus citatus fuerit personaliter ad sententiam audiendam, tunc seruetur ius commune.

Rubrica, quòd conuentus teneatur denuntiare priori actori, quando conuenitur ad eandem rem à tertio.

ITem cum his temporibus malitiæ magnæ fuerint factæ, & excogitatæ in processibus causarum, quia cum actor conuenerit reum in publicana, vel hypothecaria, vel alia a-

ctione,

ctione, reus celatè ſupponit, & ordinat, quòd quidam alius tertius eum conueniat ad eandem rem, & ſibi faciat poſitio nes, & eas confitetur, & ſententiam proferri facit contra ſe, & lata ſententia reſtituit rem in fraudem primi, ad excludendum primum. Idcircò ad obuiandum malitijs talium, Statutum, & ordinatum eſt, quod ſi poſtquàm quis conuenerit alium ad aliquam rem, ſuperueniat tertia perſona, vel ſecunda perſona, quæ conueniat talem prius conuentum, quòd ille conuentus teneatur hoc denuntiare priori actori, ad hoc vt prior actor adeſſe poſſit ſcdæ cauſę, & iura proponere, & porrigere; & aliter proceſſus facti in fauorem ſecundi, vel tertij non valeant. Et ſi prior actor voluerit, quòd ſua iura examinentur cum iuribus ſecundi, vel tertij actoris, examinari debeant, & iura prædicta ſimiliter terminentur.

Rubrica, de rebus ſcribendis in actis cum nomine, & confinibus fundi, & loco, quando aliqua tenuta datur.

ITem Statutum eſt, quòd ille cui data fuerit aliqua tenuta faciat ſcribi in actis omnes res de quibus ſibi data fuerit, vel dari debeat tenuta, ſpecificando locum, nomen fundi, rei confines, ſeu cohærentias, & aliter facta vel data non valeat.

Rubrica, de citationibus, & de denuntiationibus.

ITem Statutum eſt, quòd citationes, denuntiationes, & oblationes poſſint fieri de perſonis certis perſonaliter, vel ad domum in terra Caſaliſmaioris, vel ei⁹ diſtrictu. Et ſi perſona non haberet certam habitationem in terra Caſaliſmaioris, vel eius diſtrictu, tunc prædicta fieri poſſint, & facta ſufficiant in loco vbi habitare conſueuit, ſi ſolitam habitationem habitare conſueuit, et vlterius in platea Caſaliſ. maioris,

maioris, & si solitam habitationem habere non consueuit, tunc prædicta fieri possint, & facta sufficiant, si fient in platea Casalis maioris, dum tamen dictæ citationes, denuntiæ, & oblationes fiant, & dimittantur in scriptis personis, quibus fiunt, si personaliter reperiuntur, & si personaliter reperiri non possunt, in locis antedictis, vbi fieri possint. Et quòd in qualibet citatione, quę fiet in causa ciuili, seu criminali apponatur nomen burgi, vel villæ in qua, vel in quo facta fuerit. Et quòd nemo in causa ciuili, vel criminali citari possit, vt die citationis de se factæ compareat, vel quicquàm faciat, nisi fuerit personaliter citatus. Saluo quàm in citatione ad sententiam audiendam. Et quòd in denuntiationibus non sit necesse dare, & dimittere ei, cui factę fuerint, copiam in publicam formam instrumentorum, & aliorum, quæ denunciantur, & notificantur, seu de quibus in denuntijs fit mentio, sed sufficiat instrumenta in publicam formam ostendi, & perlegi tempore quo fiunt denuntiæ ei, cui fiunt, seu ad locum vbi fieri debent, & eorum omnium copiam in scriptis in papiro dari, & dimitti.

Rubrica, de denuntiationibus fiendis communi, & vniuersitati.

ITem cum sępè cõtingat denunciationes, protestationes, vel oblatiões fieri debere cõmuni, vniuersitati, collegio, vel corpori, & de modo faciendi ipsas denuntias, protestationes, vel oblationes dubitetur; idcirco ad tollendum omnia dubia, quæ in prædictis oriri possint, Statutum & ordinatum est, quòd si qua persona facere, vel fieri facere voluerit aliquam denuntiam, protestationem, vel oblationem alicui communi, vniuersitati, collegio, vel corpori, teneatur, et debeat pri' per correriũ citari facere publicè, & alta voce, in loco vbi congregari consueuit dicta cõitas, vniuersitas, collegiũ, vel corpus, homines, & personas dictæ cõmunitatis,

vniuersitatis,

vniuersitatis, collegij, vel corporis, vel aliquos de dictis cõmunitate, vniuersitate, collegio, vel corpore vsq; ad numerum quatuor personarum ad minus specialiter, vt venire, & esse debeant tali hora in dicto loco ad audiendum denuntiam, protestationem, oblationem, quæ fieri velit prædictis communi, vniuersitati, collegio, vel corpori, quæ citatio scribatur in actis, aut ex ea fiat publicum instrumentum, cui instrumentum plena fides adhibeatur. Et dicta denuntia, protestatio, vel oblatio fiat, & fieri debeat, & possit in loco prædicto, ipsa cõmunitate, vniuersitate, seu corpore ibidem congregatis, & præsentibus, si ibi cogregati erunt hora prædicta, & etiam absentibus, cuius denuntiationis, protestationis, & oblationis exẽplum dimittatur in scriptis in loco prædicto, Et facta denuntiatione, protestatione, & oblatione modo prædicto, valeat, & teneat de iure, ac si omnibus ad hoc specialiter conuocatis, & simul congregatis de dicta communitate, vniuersitate, collegio, vel corpore facta foret. Et quòd liceat denunciãti, & referẽti, id, de quo facta fuerit oblatio, deponere penes idoneam personam tempore oblationis. Et prædicta oblatio sic facta pro legitima depositione habeatur.

Rubrica, de pœna facientis alium citari non facientis scribere citationem, vel in termino citationes non comparentis.

ITem Statutum est, quòd si contingat aliquem citari facere aliquem alium, quòd cõparere debeat certa hora coram Domino Potestate, & citatus comparuerit ea hora, & ille qui eum citari fecerit, non comparuerit, si præceptum, scriptum, vel si citatio scripta fuerit, faciat citatus scribi cõparitionem suam, & ille qui citari fecerit condemnetur, & condemnatus esse intelligatur ipso iure in solidis duobus Imperialibus, & in expensis soluendis citato. Et hoc in terra

Casalis.

Caſaliſmaioris, vel in burgis. Si verò in villis, vel diſtrictu facta fuerit citatio, condemnetur, & condemnatus eſſe intelligatur is, qui citari fecerit, & non comparuerit, in ſolidis quatuor Imperialibus & in expenſis ſoluendis citato comparenti. Si verò aliquis fecerit citari alium, vt compareat, vel aliquod faciat, & citationē ſcribi non fecerit infra tēpus limitatum, ſi citatus compareat in termino, condemnetur, & condemnatus eſſe intelligatur is, qui citationem fieri fecerit, & ſcribi non fecerit vtſupra. Et de citatione credatur correrio cum ſacramento, qui correrius teneatur facere relationem de citatione, tam ad inſtantiam citati, quàm eius, qui citari fecerit.

Rubrica, de ſacramento, quòd præſtatur à parte parti.

ITem Statutum eſt, quòd in cauſa ciuili poſſit deferri ſacramentum de veritate dicenda à parte parti, tam ante libellum, quàm poſt, dum tamen petatur deferri ante publicationem teſtium. Et teneatur pars illa, cui defertur ſacramentum, iurare, & præſtito iuramento amplius in dicta quæſtione, vel cauſa, in qua iuratum fuerit, nō procedatur, ſed pro deciſa habeatur. Et de periurio nil poſſit dici. Et teneatur pars illa, cui defertur, iurare ad terminum ſibi per iudicem ſtatuendum, qui terminus non ſit minor tribus diebus, vel iuſiurandum referre dum tamen deferatur ſacramentum in facto proprio eius, cui defertur, & ſtetur ſacramento eius, cui defertur in omnibus, & per omnia, tàm ſuper forma ſacramenti, quàm ſuper quibuſcunque alijs dependentibus, vel faciētibus ad negotiū de quo quæratur, & in ſacramēto fit mentio, quo ad excludēdum intentionem deferentis ſacramentum. Et ſi ille, cui delatum eſt ſacramentum, ipſum non præſtiterit in dicto termino, habeatur ipſo iure pro relato ipſi deferēti, quo caſu ſufficiat iurari de credulitate

credulitate per eum cui habeatur pro relato, qui deferens ſacramentum, & cui fuerit relatum, vel pro relato habitum vt ſupra, iurare poſſit ſuper ea forma infra ſimilem terminum, quo primus iurare, vel referre debebat, Et ſi iurauerit ad dictum terminũ, ſtetur eius ſacramento, tã pro ſe, quàm contra ſe. Et ſi non iurauerit ad dictum terminum vt ſupra, habeatur illud ſacramentum pro non delato, & pro non relato, nec poſſit poſt hoc dari forma ſacramenti ſuper his, de quibus aliâs delatum fuerit ſacramentum. Et ſacramentum delatum, vel relatum, & præſtitum modo quo ſupra executioni mandetur, quemadmodum ſententia diffinitiua, & vltra ſuccumbens condemnetur in expenſis.

Rubrica, de excuſsionibus.

Item Statutum eſt, quòd ſi Dominus Poteſtas decreuerit aliquem mittendũ fore in poſſeſſionem tædialem quocunq; modo, vel ſi commiſerit alicui correrio, vt aliquẽ in tædialem poſſeſſionem inducat, ſeu in executione alicuius ſententiæ, vel publici inſtrumenti cõmiſerit correrio, quòd quem in tenutam, vel in poſſeſsionem bonorum condemnati, vel citati inducat, & correrius retulerit ſe facta diligenti inquiſitione nihil inuenire expeditum, de quo poſſit dari poſſeſſio, vel ſe tantum non inuenire expeditum quod ſit ſufficiens ad dandum poſſeſſionem vſque ad quantitatem petitam vel in cõparitione, vel ſcriptura, vel citatione contentam, vel id ꝑ quo poſſeſſio dari debeat, vel decreta erit, vel iuſſa dari, tunc excuſsio habeatur pro legitimè facta, Et quòd correrius & fideiuſſor nõ teneantur excutere ex ſe ipſos, & perinde agere poſſint, ac ſi excuſſio legitimè facta foret. ¶ Item quòd ſi excuſſio facta fuerit legitimè, modis ſupraſcriptis, vel aliquo eorum, vel alio legitimo modo, quòd comparitio poſtea facta nihil operetur, quominus procedi

poſſit

posſit, ac ſi legitimè excusſio facta fuerit, non obſtante dicta comparitione.

Rubrica, de eodem.

ITem cum excusſio ſit in multis caſibus de iure communi fienda, et de modo faciendi excusſionem per multos dubitetur, & maximè propter tempora per ſtatuta litibus abbreuiata; Ideo vt excusſio breuiter fieri posſit, & ne forma excusſionis ſit longior quęſtione principali, prouisũ, & ordinatum eſt ad expenſas euitandas, quòd ſi aliquis comparuerit per ſe, vel legitimam perſonam coram Domino Poteſtate, aſſerens ſe ab aliquo, vel in bonis alicuius aliquid habere debere, vel illum habere debere, cuius nomine comparuerit, & ſe ignorare vtrum ille debitor ſit in terra Caſaliſmaioris, vel eius diſtrictu, vel illum debitorem non eſſe in terra, vel diſtrictu Caſaliſmaioris, vel ſe ignorare vtrum ille debitor viuat, vel mortuus ſit, vel ignorare quis ſit hęres dicti debitoris, tunc & in eo caſu & caſibus prædictis, & quolibet prædictorum, teneatur Dominus Poteſtas ex officio ſuo talem debitorem publicè, & alta voce per vnum correrium, vel nuntium communis Caſaliſmaioris ad domum habitationis, ſi quam habet in terra Caſaliſmaioris, vel eius diſtrictu, & ſi quam non habet in terra, vel diſtrictu Caſaliſmaioris, ad domum ſuæ ſolitę habitationis, ſi quam ſolitus eſt habere in terra Caſaliſmaioris, vel diſtrictu eius, & ſi quam non habet in terra Caſaliſmaioris, vel diſtrictu eius, nec ſolitus eſt habere; ad plateam communis Caſaliſmaioris citari, vel requiri facere, quòd vſque ad ſex dies vtiles talis debitor ſi viuit, per ſe, vel legitimũ procuratorem, vel per legitimam perſonam, & ſi mortuus eſt quilibet qui ſit, vel eſſe velit hæres per ſe, vel per legitimum procuratorem, vel aliam legitimam perſonam, & omnis eorum, & cuiuſque eorum defenſor coram dicto Domino Poteſtate comparere

parere debeat causa respondendi de iure ipsi personæ asserenti se habere debere, vel eius procuratori vel legitimè personæ pro eo asserenti illam personam, cuius nomine comparuerit, habere debere vt supra. Alioquin dicto termino elapso, & ipsis legitimè non comparentibus, ipsi & quilibet eorum, & cuiuslibet eorum bona & iura haberentur pro legitimè excussis. Qua citatione sic facta, vel per æquipollentia verba, si nullus in dicto termino comparuerit, habeātur prædicti, & quilibet eorum, & cuiusque eorum bona, & iura pro legitimè excussis, & excussio legitimè facta esse intelligatur, Et prædicta valeant, dato, quòd non appareat ad cuius petitionē prædicta facta sint, & illa causa finita esse intelligatur. Et intelligatur nullum comparere, nec comparuisse, si talis persona sic citata, vel requisita per se vel legitimam personam habentem legitimum mandatum, vel legitimum defensorem cum satisdatione de iudicio sisti, & iudicatum soluendo cum omnibus suis clausulis, non comparuerit, & suam comparitionem penes citationem scribi non fecerit. Et in eo casu quo legitima psona nomine citati, vel requisiti, vel eius hæredis comparuerit, si legitimum mandatum per instrumentum publicum non produxerit, & eius productionem scribi non fecerit, & suum mandatum non dimiserit penes Dominum Potestatem, vel eius notarium officij, & in casu quo defensor comparuerit, nisi talis defensor in actis, & apud acta supra scriptam satisdationem fecerit, & in actis scribi fecerit. Et si diceretur talem personam sic citatam, vel requisitam non comparuisse legitimè, vel personam eius noīe comparentem non esse legitimam, vel non habere legitimum mandatum, vel non fore legitimè satisdatum, vel fideiussorem non esse idoneum, vel suprascripta non fore per comparentem debitè obseruata, & per consequens, & excussionem legitimè factam fore, vel pro legitimè facta haberi debere, (Quæ oppositiones, &

quęlibet earũ, vel aliquæ, vel aliqua ex eis fieri debeant infra tertiã diem vtilẽ à die vltima sex dierum suprascriptorum; Alioquin dictæ oppositionęs, vel aliquæ earũ fieri non possint, & teneatur & debeat Iusdicens infra decem dies vtiles computandos à die qua prædicta, vel aliquod prędictorum dicta, vel opposita fuerint, & in actis scripta, prędicta sic opposita terminare, cui terminationi stetur, & stari debeat, nec ab ea appellari possit, nec nulla dici. Qua terminatione sic facta, quęstio, & causa prędicta intelligatur esse finita. Et idem in omnibus & per omnia fiat, referendo singula singulis, quando solus principalis debitor, vel eius fideiussor, vel quando solus hæres certus, vel incertus, vel eius fideiussor citatur, vel requiritur, refferendo singula singulis vt supra. Eo saluo quòd si citatur vel requiritur certus hæres, vel eius fideiussor, tunc citatio prædicta fiat ad domum habitationis, si quam habet in terra Casalismaioris, vel eius districtu. Et si quam non habet in terra Casalismaioris, vel eius districtu, ad domum solitæ habitationis, Et si quam non habet, nec solitus est habere in terra Casalismaioris, nec eius districtu, tunc fiat ad plateã cõmunis Casalismaioris. Et credatur relationi correrij de omnibus, & singulis suprascriptis, relationem facientis de suprascriptis, vel de aliquo eorum secundum quòd retulerit. Et prędicta omnia fiant infra quinquaginta dies vtiles, computandos à die primæ citationis.

Rubrica, quòd quis defensorio nomine, animo nouandi, non possit in se transferre iudicium reo inuito.

ITem Statutum est, quòd aliquis defensorio nomine, animo nouandi, non possit in se transferre iudicium inuito reo.

Rubrica,

Rubrica, de ordine & solemnitate tenenda in depositione testium, & eorum iuramento.

ITem Statutum est, quòd capitula intentionum scribantur per ordinem in principio depositionis testium, & interogationes sibi factę, & responsiones eorum scribantur per notarios, qui recipient ipsos testes singulariter, & distinctè, non ponendo in dictis eorum testium, respondit vera esse quæ in dicto capitulo continentur, nec scribendo talis testis dixit vt supra. Et si contrafactum fuerit, dicta eorum ipso iure nullius sint momenti. Et quòd notarij qui contra prædicta fecerint, teneantur resarcire damnum passo. Et quòd notarij, qui recipient testes, teneantur, & debeant dimittere ad banchum Domini Potestatis, vel notarijs officij, coram quo erit quæstio, interrogationes factas ipsis testibus, ad hoc vt partes possint habere copiam de eis, si qua interrogatio diceretur calūniosa, vel ommissa. Et quòd testibus receptis, dicta eorum publicentur præsentibus partibus, vel vna præsente, vel altera absente, tamen legitimè citata, vbi requiratur publicatio, & aliàs dictis eorum fides non adhibeatur, de qua publicatione notarius officij recipere possit solidos tres Imperiales, & non vltra, de qualibet publicatione, non obstante aliqua consuetudine in contrarium obseruata. Et quòd notarij qui recipiūt testes, teneantur in principio libri depositionum testium scribere Millesimum, Indictionem, diem, mensem, & nomen Potestatis, sub quo mouetur quęstio. Et quòd in fine depositionum testium teneantur notarij, qui recipiunt testes, scribere subscriptiones suas, & signa sua. Et quòd notarij qui scribent pronunciationem, & publicationē depositionum testium, teneantur scribere in actis officij ipsam pronunciationem, & publicationem, ponendo Millesimum, Indictionem,

mensem, & diem dictæ pronuntiationis, & testium. Et quòd in dicto cuiuslibet testis, & in qualibet scriptura actorum scribatur dies, mensis, & nomen diei, & mensis, cum quota die mensis, & aliter non valeat. Et quòd in qualibet causa testes iurare possint absente parte, nisi petitum fuerit per partem aduersam se velle interesse iuramentis testium, in quo casu sufficiat citari facere per partem, quòd veniat singulis diebus ad videndum iurare testes. Et quòd testes possint deponere dictum suum quolibet die feriato, dum tamen iurauerint die iuridica. Et quælibet citatio facta in iudicio in qualibet parte ipsius iudicij, habeatur pro peremptoria.

Rubrica, de egenis, & miserabilibus, & eorum aduocatis, & procuratoribus.

Vid. ... 21. n. 9. ...

ITem cum expediens sit, ut egenis, & miserabilibus personis, & viduis succurratur, & ne propter inopiam procuratorum ius eorum pereat, Statutum, & ordinatum est, quòd Dominus Potestas prouidere debeat ipsis de idoneo procuratore, qui sit ipsarum personarũ procurator, gratis, & sine aliqua pecunia ab eis extorquenda, nec percipienda, nisi ei sponte dare voluerint. Saluo quòd si dictæ personę, vel aliqua earum obtinuerint in aliqua causa, quòd dicto procuratori taxetur salarium, & taxatum percipere possit. Et quòd illæ personę intelligantur egenę, & miserabiles, de quibus declaratum fuerit per Iudicem, coram quo erit quęstio. Et quòd personis prædictis, & cuilibet earum, Iudex coram quo erit quęstio pro prædictis personis, vel aliqua earum, teneatur ius facere breuiter, & summatim, sine strepitu, & figura iudicij, & eis suum fauorem impertiri toto suo posse, & eos defendere, & earũ, & cuiuslibet earum quęstiones diffinire iuris ordine seruato, & non seruato, & omni

solemnitate

ſolemnitate ſtatutorum, non ſeruata, & ſtatutis aliquibus non obſtantibus, & ſatiſdare non teneantur de iuditio ſiſti, & iudicatum ſoluendo, & expenſis reſtituendis.

Rubrica, de copia actorum fienda.

ITem Statutum eſt, quòd Dominus Poteſtas Caſaliſmaioris faciat fieri infra tertiam diem, à die requiſitionis, copiam partibus volentibus in omni placito, & quæſtione, de omnibus ſcripturis, & actis coram ſe, ſeu ad officium ſuum factis in dictis quæſtionibus, & cauſis, ſeu placitis, quas ſcripturas partes poſſint extrahere, & extrahi facere de libris, ſuper quibus ſcriptæ ſunt dictæ quæſtiones, & placita, pœna Iudici contrafacienti decem librarum Imperialium, & notario ſolidorum viginti Imperialium, abſque vlla condemnatione inde fienda, pro quolibet, & qualibet vice, ſi copiã facere recuſauerit, tempore quo Iudex non fuerit ad banchum. Et de prædictis credatur perſonæ cum ſacramento, quæ dixerit ſe petijſſe copiam de prædictis, & copiam ſibi denegatam fore. Et hoc habeat locum, tã in ciuilibus, quàm in criminalibus.

Rubrica, de pœna Notariorum non ſcribentium in actis ſcripturas, & acta.

ITem Statutum eſt, quòd Notarij cuiuſcũque officij communis Caſaliſmaioris teneantur, & debeant infra tertiã diem à die actus, vel ſcripturæ, ſeu prouiſionis computandis, ſcripſiſſe in libris actorum, ſeu prouiſionum, ſeu alijs libris communis ad hoc ordinatis, litteras, prouiſiones, reformationes, ſcripturas, conſilia, & ſententias, & alia quæcunque, quæ deſiderent deſcriptionem in actis, ſub pœna librarum decem Imperialium pro qualibet prouiſione, & quoli-

bet consilio,& sententia ommissis,& sub pœna librarū quinque Imperialium pro quacunq; alia scriptura, vel actu ommissa, nisi fuerint iusto impedimento perpediti. Et prędicti Notarij teneantur, & debeant habere omnes suos libros ad eorum officia ligatos,& affoliatos per numerum cartarum, sub pœna solidorum viginti Imperialium, pro quolibet libro non ligato,& non affoliato, vt supra,& qualibet vice.

Rubrica, de fide danda cartis attestatis, & quòd acta possint in publicam formam reduci sine consensu Iudicis, & sic reducta probent.

ITem Statutum est, quòd Notarij banchi iuris Casalismaioris possint omnes scripturas, & testes, & omnia alia acta facta ad officium suum exemplare, & in publicam formam reducere sine consensu Domini Potestatis,& scripturæ hoc modo factæ probent,& faciāt plenam fidem. Et hæc locum habet in præsentibus, præteritis, & futuris. Et quòd fides adhibeatur cartis attestatis, & scripturis, sic extractis per vnum Notarium, cum subscriptione ipsius Notarij tantum, & visis cum duobus alijs Notarijs, de lamētationibus, bannis,& condemnationibus,& omnibus alijs actis,& scripturis,& libris banchi communis Casalismaioris. Et hæc locum habeant in præsentibus, præteritis,& futuris.

Rubrica, de testibus, qui recipiuntur ad æternam rei memoriam.

ITem Statutum est, quòd quilibet recipi facere possit testes ad æternam rei memoriam, & quando testes recipiuntur ad æternam rei memoriam, recipiantur præsente Domino Potestate Casalismaioris super capitulis intentionum porrectis, & datis à parte quę petierit, hoc oblata petitione,

petitione, & citatis his, qui læderentur ex ipsa receptione ipsorum testium, vel facto proclamate generali in platea Casalismaioris, ita quòd possit resistere, & contradicere ipsi receptioni, & facere interrogationes super ipsis capitulis intentionum, quę fieri debent ipsis testibus, et correctę, & examinatæ, ac approbatæ. Et si non fuerint porrectæ interrogationes, fiant per D. Potestatē, quæ sibi fiendæ videbuntur, & his testibus sic receptis, depositiones eorum publicentur, & ipsis publicatis, & prædictis seruatis, probent testes tàm in agendo, quàm defendendo, perinde ac si legitimè recepti essent, in quolibet iudicio. Et hæc locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, de pœna præceptorum spretorum.

ITem Statutum est, quòd de præceptis spretis Domini Potestatis Casalismaioris, non possit quis condēnari, nec mulctari vltra solidos quinque Imperiales pro primo præcepto non seruato, & non vltra, pro secundo verò præcepto, nisi in solidis decem Imperialibus, & pro tertio præcepto possit carcerari, si fuerit personaliter citatus. Saluo quòd si persona cui factum fuerit præceptum senserit se grauatam, & alleget causam sui grauaminis, & offerat se paratam dicere de suo grauamine, tunc audiatur. Et si probauerit iustam causam, pręceptum reuocetur, & in nullo condemnetur, nec aliquid ab ea persona exigi possit, pœna Potestati aliter procedenti, & dictam personam in volendo probare nō audienti, librarum decem Imperialium pro quolibet, & qualibet vice.

Rubrica,

Rubrica, quòd iudicium poſſeſſorij & petitorij & vtilis, ſimul poſſint intentari.

ITem cum diutius ex conſuetudine obtentum ſit, quòd poſſeſſorium retinendæ poſſeſſionis, & poſſeſſorium recuperandæ poſſeſſionis ſimul intententur, cum quibus ius dominij, vel quaſi intentari conſueuit, ideo ſtatutum eſt, quòd cauſa, & iudicium retinendæ poſſeſſionis, & recuperandæ poſſeſſionis, & dominij directi, vtilis, vel quaſi & ſimul, & ſeparatim, & aliqua ex eis intentari poſſit, prout placuerit agenti, vel agere volenti.

Rubrica, quando quis in hypothecaria præferri debet.

ITem Statutum eſt, quòd quæcunque perſona, collegiū, vel vniuerſitas agat, vel aget in futurum contra aliquam perſonam, collegium, vel vniuerſitatē hypothecaria directa, vel vtili, vel ſi contentio fuerit inter aliquas perſonas prælibatas, vel aliquam earum de re, nomine, vel iure ſibi obligatis tacitè, vel expreſsè, quacunque de cauſa, ſeu iure quocunque, ſi habeant cauſam ab eadem perſona, vel diuerſis, quæ pro vna & eadem reputentur, tunc in eo caſu ius cōmune ſeruetur. Si verò cauſam habeant à diuerſis perſonis, quæ pro vna, ſeu eadem non reputentur de iure, tunc & in eo caſu melior ſit conditio illius perſonæ, & illa obtineat, & præferatur, quæ probauerit debitorem ſuum poſſediſſe pro ſua, & tanquàm ſuam, vel ſimpliciter poſſediſſe, non ſimulatè rem petitam, nomen, vel ius, de quo, qua, ſeu quibus erit contentio, antiquiori tempore, dum tamen tunc temporis fuerit debitor, & res, nomen, vel ius obligata, vel obligatum fuerit. Et hoc locum habeat in quæſtionibus futuris tantum, & in præteritis, & conſuetudo quæ

eſt, &

est, & fuit per tempora retroacta in terra Casalismaioris, quòd quicunque probauerit, quòd debitor suus possederit rem aliquam pro sua, & tanquàm suam in hypothecaria actione, vel vtili, & in quocunque casu, vbi agatur de pignore obligato, habeatur perinde, ac si probatum foret quòd fuerit in bonis debitoris, & seruetur de cætero inuiolabiliter.

Rubrica, de lege Publiciana.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd quicunque possidet, vel quasi aliquam rem, vel aliquod ius ex iusto titulo, vel in futurū possidebit, vel qui ex iusto titulo, vel ius habet ad aliquam rem petendam, vel ius ex iusto titulo, vel in futurum habebit, & contingat ipsum agere contra aliquam personam, collegium, vel corp⁹, ad recuperationem ipsius rei, vel iuris, & ille contra quē agitur similiter habeat causam, vel in futurum habebit per se, vel suos auctores, Si quidem agens & conuentus habuerit titulum ab eadem persona, vel à diuersis, quæ pro eadem reputentur de iure, tunc ius commune seruetur. Si verò habent causam, vel habuerint à diuersis personis, quæ pro eadem persona non reputentur, tunc si pars conuenta habuerit titulum post præsens statutum, tunc illa pars obtineat, quę probauerit de antiquiori titulo, & possessione, saluis etiam contractibus, & promissionibus inter actorem & conuentum, & eorum auctores factis, qui contractus & promissiones possint opponi inquantum ius commune permittit.

Rubrica, quòd bonæ fidei possessor lucretur fructus.

ITem cum multi sint creditores, & alij petentes, & agentes, qui ꝓspiciunt maliciosè, & diferunt petere res obligatas,

de malæ fidei possessore ... [illegible]

gatas, vel alio modo quousque res sint melioratę, vel super eis edificia facta, Idcirco statutum est, quòd quilibet bonę fi dei possessor, qui habeat titulum, à quo petatur res, in quá fecerit ipse, vel ei⁹ actor melioramẽtum, lucretur, & lucrari debeat fruct⁹, & pensiones habitos per tempora ante litem contestatam absque aliqua compensatione opponenda.

Rubrica, quòd Forenses possint detineri.

ITem Statutum est, quòd personæ Forenses, non subditæ dominio Illustrissimi Domini Domini nostri possint detineri, non obstante aliquo statuto, seu decreto in contrarium loquente. Et quòd decreta, & statuta loquentia quòd nullus possit pro priuatis debitis detineri, locum non habeant in fauorem forensium non subditorum Dominio præfati Domini.

Rubrica, de noui operis nunciatione.

ITem cum sint ædificantes in terra Casalis maioris, quibus apparent aliqui maliciosè denunciantes nouum opus per lapilli iactum, vel per Iudicis pręceptum, volentes eos inhibere ædificare, & in opere perseuerare, & de ædificio, seu opere procedendo dubia oriãtur; Idcircò statutum est, ad declarationem talium dubiorum, si ædificans pręstiterit bonũ, & idoneum fideiussorem coram Domino Potestate, de opere demoliendo, si apparuerit eum iniustè ædificare, quòd tunc possit in opere, vel ædificio procedere, non obstante aliqua denuntiatione.

Rubrica,

Rubrica, de quæstionibus sociorum, & artificum breuiter cognoscendis.

ITem Statutum est, quòd de quęstionibus, quæ orientur inter socios alicuius societatis mercatorum & negociatorum, tam ciuium, quàm Forensium, seu quoscunque alios socios occasione ipsius societatis, & negotiationis, & inter artifices cuiuslibet artis Casalismaioris de negocijs ipsius artis, & de quæstionibus inter vnam artem & alteram, & quę in futurum verterentur, & inter vnam societatem & alteram, & quæ in futurum verterentur, cognoscantur per Dominum Potestatem breuiter, & summatim, sine strepitu, & figura iudicij.

Decretum verba quibus procedi mandatur summarie, simpliciter de plano sine strepitu et figura iudicij et sola facti veritate inspecta quomodo intelligantur vide decisionem primam Osaschi –



RVBRICA, DE COMPROMISSIS inter propinquos fiendis.

ITEM Statutum, & ordinatum eſt, quòd cum multę quęſtiones,& lites vertantur inter fratres, & ſorores, & patrem & filium, & matrem & filiā, & omnes alias perſonas coniunctas vſque ad quartum gradum; (& gradus intelligatur ſecundum canones.) Et inter omnes de eadem agnatione, & inter cognatos, & cognatas,& cognatū & cognatā, ſocerum & generum, nurum & ſocerum, generum & nurum, Ex quibus oriuntur inter eos iniuriæ, & offenſiones, ſeu lites. ad obuiandum prędictis,& ad tollendas lites,& quęſtiones inter eos,Quòd de quęſtionibus,quę ſint,& in futurū oriri poſſent, Dominus Poteſtas Caſaliſmaioris præſens, & qui pro temporibus erit,teneatur,& debeat tales perſonas prænominatas compellere præciſè ſe ſe cōpromittere in vnum propinquum, vel tres propinquos, Et ſi propinquos non haberent,vel haberent, & in eos cōpromittere nolent,ipſi, vel alter eorum, ſeu aliqua partium, ſed potius in aliquos non propinquos,in vnum, vel tres Iuriſperitos, vel amicos communes per partes eligendos, qui cognoſcant, & fine debito terminent tales quęſtiones. Et procedatur,& procedere poſſint, & teneantur dicti arbitratores, breuiter, & ſummatim,ſine ſtrepitu,& figura iudicij,diebus feriatis,& non feriatis, dum tamen non ſint introducti in honorem

Dei,&

Dei, & ſanctorum eius ex forma ſtatutorum, non ſeruato iuris ordine in procedendo, etiam ſine alia ſcriptura. Saluo quòd dicta teſtium, qui producentur coram eis, reducantur in ſcriptis, & inſtruméta, & iura producantur præſente parte ad hoc citata. Et de iure ipſas lites, & queſtiones terminent. Et quicquid per ipſos tres, vel duos ex ipſis in cócordia tertio præſente, vel abſente, tamen ad hęc citato, ſententiatum, præceptum, vel arbitratum fuerit, valeat, & teneat, & executioni mandetur ſecundum formam ſtatuti loquentis de ſententijs executioni mádandis. Et cogantur precisè ipſi arbitratores pręducta acceptare omnibus iuris remedijs. Et teneantur eorum arbitramenta tuliſſe infra terminum quadraginta dierũ vtilium à die acceptationis. Et intelligantur dies vtiles etiam feriæ introductæ ad vtilitatem hominum. Et eadem per omnia vendicent ſibi locum in his, qui ſunt vel fuerunt affines vſque ad quartum gradum affinitatis. Et intelligatur gradus vtſupra.

Rubrica, de ſententijs arbitratorum executioni mandandis.

ITem Statutum eſt, quòd poſtquàm facta fuerint pcepta, & arbitramenta inter aſcendentem, & deſcendentem, vel agnatos, vel cognatos, vel affines, vel vicinos, vlterius non poſſint dici iniqua, nec poſſit appellari, quęrelari, nec ſupplicari, nec peti reduci ad arbitrium boni viri, ſed elapſo termino, ſeu terminis cótentis in pręceptis, vel arbitramentis, vel elapſo menſe, ſi terminus nõ fuerit in eis appoſitus, debeant executioni mandari omnibus iuris remedijs.

Rubrica, quando currere debeat tempus in arbitramentis datum.

ITem cum quotidiè occurrant dubia circa sententias arbitrorum,& arbitratorũ,& amicabilium cõpositorum, cum per ipsos ferantur sententiæ in absentia partium, & fiant condemnationes per ipsos ad certum tempus, & dubitetur an dictũ tempus currat prędictis partibus à die latę sententiæ, an à die denuntiæ; Statutum, & ordinatum est, quòd si aliquis per sententiã arbitralẽ fuerit condemnatus, ipso absente, ad dandum,& soluendum, vel aliquod facien dum alteri personæ infra certum numerum dierum, etiam si dicatur proximum, vel proximus, quòd dictum tempus, seu numerus dierum currat, seu currere debeat à die denuntiæ sibi factę tantum,& non ante. Si verò fuerit cõdemnat⁹ ad aliquid dandum, soluendum, vel faciendum alteri parti infra mensem, vel ad annum, vel per totum annum, vel ad aliquod festum, specificando mensem, annum, vel festum, vel dicendo proximè futuros, tunc cursus dicti temporis non præiudicet dicto condemnato ignoranti, sed tantundem temporis habeat, & habere debeat condemnationi, prędictæ à die denũtiæ sibi factæ. Et si aliqua persona terrę, vel districtus Casalismaioris fuerit condemnata ad aliquid dandum soluendũ, & faciẽdum alicui personę nõ habitanti in terra, nec in districtu Casalismaioris, quod talis pſona possit denuntiare, & offerre se paratã cum effectu soluere, & facere prędicta, ad quæ fuerit cõdemnatus, corã Domino Potestate Casalismaioris. Et si talis persona de mandato dicti Domini Potestatis deposuerit penes idoneam personam, per ipsum Dominum Potestatem eligendam, quantitatem, ad quam condemnata erit, & obtulerit se facturam id, quòd facere tenebatur, singula singulis referendo, dicta talis persona non incurrat aliquam pœnam.

Rubrica,

Rubrica, quòd condemnationes voluntariæ ſcribantur in præſentia duorum teſtium: & de ipſarum executione.

ITem Statutum, eſt, quòd notarij, qui ſcribunt aliquam condemnationem voluntariam, ſcribant ipſam in præſentia duorum teſtium, qui teſtes cognoſcant illum, qui ſe condemnet. Et credatur teſtes illum cognoſcere, ſi notari⁹ ſcribens ipſam cōdēnationem ſcripſerit in ipſa condemnatione, quòd ipſi teſtes dicant ſe cognoſcere illũ, qui ſe condemnet. Et quòd condemnationes factæ dicto modo valeant, & quòd non ſit neceſſaria aliqua ſententia fieri ſuper ipſis cōdemnationibus voluntarijs, ſed executioni mandentur quemadmodum ſententiæ diffinitiuæ.



RVBRICA, DE AVTENTICATIONE *Testium, & Instrumentorum.*





Tem Statutum, & ordinatum est, quòd autenticatio depositionum testium, & instrumentorum, & priuilegiorum, & aliorum iurium fieri debeat hoc modo videlicet, quòd adesse debeat Dominus Potestas, qui debeat accipere depositionem testium, vel instrumentorum, qui, vel quæ petuntur autenticari, & de ipsis autenticationibus habere debeat con silium trium notariorum bonorum, & legalium, qui inspicere debeant prędictas depositiones testiũ, & instrumentorum, ac priuilegiorum & iurium, vtrum in eis sit aliqua suspectio. Et si fuerint cõcordes quòd depositiones testiũ, instrumentorum, priuilegiorum, seu iurium sint legales, seu legalia, & suspitione carentia, quòd tũc possint autenticari, citatis prius his, qui læderentur ex ipsa autenticatione, vel facto proclamate generali in platea Casalismaioris. Et hæc locum habeant in pręsentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, de imbreuiaturis notariorum mortuorum, inhabilium, vel absentium committendis, & de fide instrumentorum exinde extractorum.

ITem Statutũ, & ordinatum est, quòd si aliquis notarius fuerit mortu⁹, vel absens à terra Casalismaioris, vel eius curia,

curia, vel inhabilis, quòd Dominus Potestas Casalis maioris possit, & debeat committere imbreuiaturas, & prothocolla illius notarij mortui, vel absentis, vel inhabilis, bono, & legali notario, Et ille cui commissæ fuerint dictæ imbreuiaturæ, seu prothocolla, possit reficere, & facere dicta instrumenta, & de dictis prothocollis, & imbreuiaturis tam de mortificatis, quàm de nõ mortificatis, seu cancellatis, sicut poterat ille notarius, qui scripsit dictas imbreuiaturas, seu prothocolla, dum tamen alius notarius se subscribat in illo instrumen to, notificando in subscriptione statũ imbreuiaturæ, & citatis partibus, quas negocium tangit, quæ expectari debeant per sex dies, quibus elapsis possint instrumenta extrahi, seu refici de dictis imbreuiaturis, seu prothocollis. Et hæc de citationibus locum habeant, quando instrumenta debeant extrahi, vel refici de imbreuiaturis, seu prothocollis cancellatis, vel mortificatis. Et notarius cui commissæ fuerint dictæ imbreuiaturæ, debeat iurare tempore commissionis sibi factæ, quòd fideliter faciet, & reficiet instrumenta de imbreuiaturis prædictis secundum tenorem dictarũ imbreuiaturarum. Et notarius, cui commissæ fuerint dictæ imbreuiaturę, & qui se debet subscribere, teneatur subscribere, & exprimere in subscriptionib⁹ suis, millesimum, indictionem, & diem extractionis, & cõfectionis, seu refectionis dicti instrumenti. Et de commissione imbreuiaturarum adhibeatur fides notario extrahẽti, de prædictis facienti mentionem in sua subscriptione de instrumento commissionis ipsarum imbreuiaturarũ, si dicat se vidisse, & in ea parte legisse; & instrumenta sic confecta ex imbreuiaturis probent. Et quòd facta commissione imbreuiaturarum alicuius notarij, qui dicatur mortuus, credatur, ꝙ sit mortuus, nisi contrariũ doceatur, & ꝙ credatur etiã de inhabilitate, & absentia, si cõtineatur in instrumẽto commissionis, vel refectionis, nisi contrarium doceatur.

Rubrica, de fide inſtrumentorum extractorum de imbreuiaturis à triginta annis retro.

ITem Statutum eſt, quòd idem intelligatur, & fides adhibeatur inſtrumentis extractis à triginta annis retro de imbreuiaturis notariorum mortuorum per alios notarios etiam legales, & bonę famę, & opinionis, quibus commiſſę fuiſſent dictæ imbreuiaturæ pro vt in ſubſcriptionibus ſuis legitur, & narratur, etiam dato quòd inſtrumentum commiſſionis non appareat, & in ſubſcriptione ſua nõ dicatur ſe vidiſſe, & legiſſe, cũ difficile apparere poſſet de dicto inſtrumento commiſſionis, propter conditiones tranſcurſas. Et hæc vendicent ſibi locum, ſi notarij extrahentes, & ſubſcribentes ſint mortui à triginta annis retro.

Rubrica, de ſubſcriptionibus Notariorum mortuorum inhabilium, vel abſentium committendis. Et quòd in quolibet inſtrumento à ſexcentum libris ſupra, duo Notarij adſint.

ITem Statutum, & ordinatum eſt, quòd ſi aliquis notari⁹, qui ſe debet ſubſcribere in teſtamentis, codicillis, ſeu inuentarijs, vel alijs inſtrumentis, mortuus, vel inhabilis, vel abſens fuerit à terra Caſaliſmaioris, & eius curia, Dominus Poteſtas poſſit, & debeat committere ſubſcriptionem illius notarij mortui, vel abſentis, vel inhabilis, bono, & legali notario, qui ſe ſubſcribere debeat loco dicti notarij. Et credatur de morte, abſentia, vel inhabilitate, vt in ſuperioribus ſtatutis continetur. Item quòd in quolibet inſtrumento à ſexcentum libris ſupra, vel rei tanti valoris, quæ aſcendat vltra libras ſexcentum, debeant adeſſe duo notarij, quorum vnus inſtrumentum conficiat, & alius ſe ſubſcribat, & ſaluo, quòd

uo,quòd hoc locum non habeat in inſtrumentis tenutarũ, & peremptoriorum,nec in inſtrumẽtis procuriæ, actoriæ, ſyndicatus,tutelæ, & curariæ ad placita, nec in inſtrumentis appellationum,nullitatum,& contradictionum, & ſententiarum,nec in inſtrumentis extractis de actis aliquibus, nec de ſtatutis, & prouiſionibus communis Caſaliſmaioris, nec in inſtrumentis denuntiationum, proteſtationum, & aliter non valeant.

Rubrica, quòd inſtrumenta poſſint,tam per alios notarios finiri, quàm per illos, qui imbreuiauerint.

ITem cum propter pigritatem notariorũ,qui non faciunt inſtrumenta,multi homines,& eorum hæredes amittãt iura ſua, Statutum eſt,quòd ſi aliqua carta tractata, vel imbreuiata fuerit per aliquem notarium, poſſit finiri in cartã publicam, & compleri integrè per quemcũque notarium, dummodo qui imbreuiauerit ſe ſubſcribat, & dicat in ſubſcriptione ſua ſe tractaſſe, & imbreuiaſſe; & probet, & valeat, ſicut probaret, & valeret, ſi factum eſſet per manus illius notarij,qui tractaſſet,& imbreuiaſſet. Et hæc locum habeant in præſentibus,præteritis,& futuris.

Rubrica, de copia Inſtrumentorum danda ei, cuius intersit.

ITem cum multæ quæſtiones oriantur de contractibus in imbreuiaturis poſitis, & etiam de inſtrumẽtis exiſtentibus penes tabelliones, quas imbreuiaturas, ſeu inſtrumenta aliqui petunt ſibi dari, & copiam fieri ratione iuris, & intereſſe eorum aſſerentium ad ſe pertinere,quas,& quæ præfatæ perſonæ dare recuſant,Idcircò ſtatutum,& ordinatũ eſt, quòd quilibet notarius habens imbreuiaturas,vel inſtrumẽta penes ſe, teneatur, & debeat ad petitionem petentis ſibi dare,

dare, & facere copiam, & de imbreuiaturis tale instrumentum facere infra tertiam diem, dum tamẽ prius, & ante omnia coram Iudice probet de suo iure, & interesse, per sacramentum petentis eidem à Iudice deferendum. Et quòd vellet dicere tale instrumẽtum, vel talem imbreuiaturam ad se spectare; de quo iure, & interesse cognoscatur, & terminetur per Dominum Potestatem Casalismaioris sine strepitu, & figura iudicij, et omissa omni solemnitate iuris, pœna cuilibet tabellioni contrafacienti, & non seruanti prædicta, & qualibet vice, solidorum centum Imperialium, & ad restitutionem damni damnum passo.

Rubrica, de mentione emancipationis facta in instrumento.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd si quis ostenderit instrumentum emancipationis, de quo notarius in carta fecerit mentionem, & à quo facta fuerit, non admittatur contrarium, dicendo postea se non esse emancipatum, & intelligatur ipsum instrumentum fuisse ostensum, si notarius dicat in instrumento se vidisse.

Rubrica, de cartis per Notarios ponendis in imbreuiaturis, & de instrumentis per eos reducendis exinde in publicam formam.

ITem Statutum est, quòd omnes, & singuli notarij teneantur, & debeant infra quatuor menses ponere in quaternis imbreuiaturarum suarũ omnes, & singulas suas cartas tractatas per ipsos, & ipsas in publicam formam reducere, etiam ad instantiam illorum, quorum interest, & eis tradere sub pœna solidorum viginti Imperialium, nisi iusto impedimento steterint quominus prædicta fecerint. Et quòd teneantur ponere in eorum imbreuiaturis cartas procurationum ad lites, de verbo ad verbum, & ad alia negotia, sub

pœna

pœna prędicta. Et quilibet iudex, & officialis, cum fuerit requisitus à notarijs, teneatur concedere licentiam etiam nō præcedente aliqua citatione ad pignerandum personas, quæ fecerint celebrari, seu tractari aliqua instrumenta pro mercede ipsius notarij, ostenso sibi prius per ipsum notarium ipso instrumento in forma publica.

Rubrica, de pœna notarij non ponentis in contractu nomina, & pronomina contrahentium, & patrum, & viciniæ, vel loci.

ITem cum multæ quæstiones oriantur in contractibus in quibus nominatur persona obligata, in cuius progenie erit alius sic nominatus, & propterea contractus propter incertitudinem viciatur, idcirco ad euitandum tales dubitationes, & ne contractus de cętero vicientur, statutum est, quòd quilibet tabellio teneatur ponere in contractu nomina, & pronomina cōtrahentium, & nomina patrū eorum, & nomen viciniæ, loci, castri, terræ, vel villæ in quo, vel in qua stabunt, & habitabunt contrahentes, sub pœna notario contrafacienti solidorum centum Imperialium. Et nihilominus contractus valeat.

Rubrica, de imbreuiaturis notariorum mortuorum, & libris communis rimandis.

ITem cum multa iura personarum pereant ex defectu probationū, & imbreuiaturarum notariorum mortuorum, quæ non reperiuntur, vel absconsæ sunt; idcircò statutum, & ordinatum est, quòd quicunque repertus fuerit habere penes se, vel in domo eius aliquas imbreuiaturas notariorum mortuorum, vel libros communis Casalis maioris absconsas, vel absconsos puniatur in libris decem Imperialibus.

perialibus,& intelligantur fuiſſe & eſſe abſcõſæ, & abſcõſi, niſi ipſos,& ipſas manifeſtauerint deputatis,vel rationatoribus cõmunis Caſaliſmaioris infra dies quindecim ꝓximè futuros à die factæ cridæ,& poſſit quilibet eſſe accuſator,& habeat medietatem pœnæ prædictæ.

Rubrica, quòd instrumenta confecta in quibus deficit locus probent.

ITem cum multæ reperiantur imbreuiaturæ notariorum, ac etiam inſtrumenta,in quibus locus deficit cõtractus; idcircò ſtatutum eſt, quòd tales imbreuiaturæ, & talia inſtrumenta valeant, & pleniſſimum robur obtineant, ac ſi locus eſſet in eis. Et inſtrumenta de ipſis imbreuiaturis extracta plenè probent, dum ſint ſeruatæ aliæ ſolemnitates, quę requirũtur ex forma aliorum ſtatutorum. Saluo, quòd ſi probaretur illum notarium, qui fecit dicta inſtrumenta, vel imbreuiaturas, fuiſſe hominem malæ famæ, & cõditionis, tunc, & eo caſu ſtatutum non vendicet ſibi locum. Et hæc habeant locum in præteritis tantum. Et quòd inſtrumenta,& imbreuiaturæ, in quibus locus loci deficit valeãt, & fidem faciant. Et hoc locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, quòd fides adhibeatur instrumentis carentibus vera indictione.

ITem cum multę imbreuiaturæ notariorum mortuorum reperiantur vicioſæ ex eo quia notarij in indictione cõputanda errauerunt, cuius computatio difficilis eſt ſecundum conſuetudinem,in cuius computatione etiam per peritos quandoque erratur propter eius difficilem computationem,& etiam ex eo quia in imbreuiaturis teſtamentorum,

rum, & codicillorum, & aliarum vltimarum voluntatum scripserunt tales testes interfuerunt, ponẽdo numerum debitum, & nõ scribant specialiter vocari, & rogari, quòd fieri debet de iure, & prò tanto voluntates defunctorum suum debitum effectũ nõ sortiuntur; ideo statutum est, ꝙ instrumentis extractis, & extrahendis de imbreuiaturis notariorum mortuorum bonorum, & legaliũ plena fides ahibeatur, non obstante quòd careant vera indictione, & etiam instrumentis, extractis & extrahendis de imbreuiaturis notariorum defunctorum Casalismaioris bonorum, & legalium, & testamẽtis, & vltimis voluntatibus plena fides adhibeatur, non obstante quòd in dictis imbreuiaturis, siuè instrumento inde extracto, vel extrahendo non dicatur testes specialiter vocati, & rogati, dum tamẽ sit perfectus numerus testium, Et quòd alio vicio non subiaceant. Et hoc, dum tamen probetur, quòd notarius prædictus defunctus, qui in prædictis, vel aliquo prædictorum errauerit, fuerit bonus, & legalis.


Rubrica, qualiter debeat mors alicuius probari.

ITem Statutum est, quòd si aliquis dicatur mortuus à decem annis retro, & probetur de voce & fama per tres testes bonæ famæ, & opinionis, habeatur pro mortuo, à decem verò annis citra, probetur de visu. Saluo, quod si probetur quòd nõ fuerit quis visus in terra Casalismaioris, vel eius districtu à decem annis citra per tres vicinos, qui dicant se eum non vidisse, nec credere eum fuisse visum, & probetur etiam de fama quòd sit mortuus, habeatur pro mortuo. Et eo saluo, quòd si vxor eius fuerit visa ligata vidua per annum, vel aliter se maritauerit, credatur esse mortuus.

Rubrica,

Rubrica, qualiter probetur proximitas sanguinis.

ITem Statutũ est, quòd filiatio, & aliã proximitas sanguinis possit probari per instrumentum, seu instrumenta facta, & conscripta à quadraginta annis retro, vel per probationes vocis & famæ factas per tres testes bonæ famæ, & opinionis, & per instrumenta, quæ de cætero fient, dum tamen quòd tempore productionis sint cõfecta per quadraginta annos vtsupra.



RVBRICA, DE CONDEMNATIO- nibus, & ſententijs executioni mandandis.

ITEM Statutum eſt, quòd condemnationes fiãt de principalibus debitoribus, & fideiuſſoribus ad decem dies tantum, ſi fiant per ſententiam diffinitiuam; Saluo quòd de mercedibus cibi, & potus fiant condemnationes ad tres dies tantum. Et omnes condemnationes, & ſententias, Dominus Poteſtas Caſaliſmaioris, ſi fuerit requiſitus, teneatur, & debeat executioni mandare ad voluntatem illorum, in quorum fauorem latæ ſunt, & prout elegerint, omnibus vijs, & remedijs, nulla exceptione, vel cauillationibus admiſſis; tam contra tenentes, & poſſidentes bona, & res, quæ fuerũt eius, contra quem lata eſt, vel per ipſum tenebantur & poſſidebantur tempore litis conteſtatæ verè vel fictè, vbi cõteſtatio requiritur, & tempore primæ citationis, vbi conteſtatio non requiritur, & ab illis temporibus citra, ac ſi contra ipſos lata fuiſſet dicta ſententia, quàm contra eum, contra quem lata fuit, præcedẽte tamẽ vna citatione cum aſſignatione trium dierum ad contradicendum. Saluo quòd ſi citatus comparuerit intra terminum prædictum, & oppoſuerit contra ſententiam, vel condemnationem exceptiones ſolutionis, liberationis, & pacti facti de non petendo, vel aliquam earum, vel quamcunque aliã exceptionem ortam poſt ſentẽtiam, quam, vel quas aſſerat ſibi cõpetere poſt ſententiam, talis exceptio admittatur, quam probare teneatur infra de-

T cem

+ Bart. questione 3a n. 3o.

cem dies vtiles à die propositę exceptionis, quàm si nõ probauerit infra dictum terminum, pro non proposita habeatur, & sententia, seu condemnatio executioni mandetur, nulla exceptione, vel cauillatione vlterius admissa. Et saluo quòd si illi in quorum fauorem latæ sunt sententiæ distulerint per annum facere executionem à die citationis suprascriptæ, non possit ipsam executionem facere, nisi de nouo faciat citari illum contra quem lata fuerit, vel executio petitur, ad contradicendum, quæ citatio cõtineat terminum trium dierum. Et si contradixerit infra dictum terminum opponendo aliquam dictarum exceptionum, audiatur, & procedatur modo simili quosupra. Et saluo quòd nullus possit personaliter detineri, si voluerit satisfacere de bonis suis, in electione creditoris, iuxta extimationē fiendam per duos bonos homines, & legales, eligendos per partes. Et si dicti homines sic electi non essent in concordia de extimatione, quòd tunc arbitrio Domini Potestatis, sub quo erit dicta quæstio, eligatur tertius bonus, & legalis, de cuius consilio procedatur in ipsa extimatione bonorum fienda. Et si bona non habuerint, de quibus soluere possint creditoribus talium debitorum, quòd in eo casu contra ipsos principales, vel fideiussores procedi possit secundum iuris ordinem. Et eo saluo, quòd debitor ad requisitionem creditoris, infra terminum statuendum à iudice, teneatur probare quòd habeat dominiũ directum, vel vtile bonorum, quæ sic dedit in scriptis, de quibus vult soluere, per omnem modum legitimum probandi, quòd si nõ probauerit, non intelligatur dedisse bona in scriptis, & non gaudeat hoc beneficio. Et saluo, quòd pro aliquibus sententijs, vel debitis non possit aliquis pignerari de pannis quos habet in dorso ipse, vel aliquis de sua familia. Et quòd non possit in ipsis aliqua sententia mandari executioni. Et prędicta vẽdicent sibi locum in omnibus & per omnia in sentẽtijs arbitratorum,

rum,& amicabilium compoſitorum.Saluo quòd prędicta, quæ loquuntur de ſoluendo de ſuis bonis, non vendicent ſibi locum in quantitatibus librarum decem Imperialium, vel ab inde infra, nec in expenſis litium & cauſarum præſentium & futurarum. Saluo quòd nullus procurator, vel ſyndicus, vel curator alicuius perſonæ, vel vniuerſitatis ad aliquam condemnationem, ſeu ſententiā,teneatur, datam, ſeu pronuntiatam contra ipſos, vel aliquem ipſorum;& nō poſſit detineri,nec moleſtari ipſa occaſione.Et quòd ſi executio ſententię, vel condemnationis facta fuerit contra aliquem,vel in bonis eius, & poſt dictā executionem compareat, & opponere, vel allegare velit aliquam exceptionem, quæ ſibi aliâs de iure cōpeteret poſt ſententiam prędictam; Et dicat dictam executionem fieri non potuiſſe, & eam petat reuocari, audiatur,ſeruatis ordinibus ſtatutorum communis Caſaliſ maioris. Et prædicta locum habeant in præſentibus, præteritis,& futuris.

Rubrica, de pœna debitoris dantis in ſcriptis bona, quæ non ſunt ſua.

ITem Statutum eſt, quòd in eo caſu in quo poſſit debitor ſatisfacere creditori ſuo de bonis ſuis ſecundum formā ſtatuti loquentis de hoc; Si dictus talis debitor obtulerit iudici, vel dederit in ſcriptis creditori ſuo aliqua bona, quæ non ſint ſua, nec eſſe reperiantur in eius bonis, puniatur in libris decem Imperialibus; Et non poſſit vti beneficio ſtatuti prædicti.

Rubrica, de inſtrumentis executioni mandandis.

ITem Statutum eſt, quòd inſtrumēta publica cuiuſcūque cōtractus obligationum perſonalium,habeant vim voluntariæ cōdemnationis, & ſententię diffinitiuę,quantum ad execu-

ad executionem tantum à tempore petitæ executionis, & executioni mandari debeant per Dominum Potestatem, si fuerit requisitus, contra principales debitores, & eorum hæredes, & cōtra fideiussores ipsorum debitorum, facta prius legitima excussione antequàm deueniatur ad fideiussores, & cōtra hæredes ipsorum fideiussorum, ad petitionem creditorum, vel eorum hæredum, vel habentium causam ab eis, præcedente tamen & facta citatione, in qua citatione assignetur terminus trium dierum, quòd ipsi debitores, fideiussores, vel hęredes debeant contradixisse executioni petitę, nec sit necessaria aliqua petitio, seu libellus, sed sufficiat sola productio instrumenti, & prędicta citatio; cuius citationis termino elapso, in ipso termino nulla facta contradictione, executioni mandari debeat prout supra, quandocunque requisiuerint petentes dictam executionem sine alia citatione, & nulla contradictione non obstante.

¶Contra quæ tamē instrumēta infra terminū prædictū possint opponi infrascriptæ exceptiones, videlicet solutionis, absolutionis, liberationis, pacti facti de non petendo, pręscriptionis, prorogationis termini, cōpensationis, remissionis, & nullitatis, seu simulati cōtractus, & falsitatis, illo, qui exceptionem falsitatis opponit, deponēte libras decem Imperiales, antequàm audiatur ad exceptionem falsitatis opponendam; quæ libræ decem Imperiales, perueniant in illam partem, cōtra quam obiecta sit dicta exceptio falsitatis, si dicta exceptio probata non fuerit. Et si probata fuerit restituantur deponenti. Qui opponens habeat terminum decem dierum vtilium exceptiones oppositas probandi, & probatas habendi à die exceptionis opposit ę absque aliquo ministerio iudicis; quo termino elapso, testes producti, & omnia facta & actitata in dicto termino habeantur ipso iure pro publicatis & publicata. Qui terminus probandi & probatum habendi sit cōmunis vtrique parti, quo termino elapso

elapso vtraque pars habere debeat & habeat,& habere intelligatur ipso iure terminū quinque dierum vtilium ad probandum, impugnandum & remouendum quæcunque facta, producta, & actitata in dicto termino dictorum decem dierum. Quo termino quinque dierū elapso, testes producti, & quæcunque facta, producta, & ostensa in ipso termino, ipso iure habeantur publicata, & pro publicatis. Et iudex causæ infra alios quinque dies teneatur, & debeat exceptiones oppositas terminasse, quæ si terminatæ non fuerint infra dictum terminum,seu terminos,dicta instrumenta executioni mandentur, non obstantibus exceptionibus oppositis,Ac si pronunciatum esset dicta instrumenta executioni mitti debere. Et transacto dicto die, dictus iudex dictam quæstionem committere non teneatur, sed per se decidere teneatur. Et si ille,contra quem petitur fieri executio, non comparuerit in termino citationis, & fuerit executio in bonis facta, & infra quinque dies post executionem factam venerit,refectis expensis audiatur, quemadmodum si in termino sibi assignato in citatione comparuisset,& exceptiones opposuisset,& vltra quinque dies nō audiatur, nisi voluerit satisfacere totum debitum, & expēsas. Et si executio facta fuerit in personam pro eo, quòd contumax fuerit,vel ex eo quòd in termino citationis non comparuerit, & infra quinque dies post executionem factam voluerit satisdare de iudicio sisti,& iudicatum soluendo,relaxetur de carceribus, restitutis prius expensis contumaciæ,& audiatur quemadmodum comparens non contumax. Saluo si debitor relaxatus se absentauerit, vel fugam arripuerit,. & per procuratorem se non defenderit, tunc cōtra fideiussores suos de iudicio sisti,& iudicatū soluendo fiat executio,nulla exceptione iuris, vel facti obstante. Et quòd à pronuntiationibus de exequendo, vel ab executio-

ne cuiuslibet sententię, vel instrumenti nō possit querelari, appellari, vel nulla dici.

Rubrica, de bonis acceptis, vel pigneratis ad executionem sententiæ, æstimandis, incantandis, vel in solutum dandis.

ITem Statutū est, quòd facta executione vigore alicuius sententiæ, vel instrumenti publici, vel alterius obligationis, quod, vel quæ habeat vim sententiæ, quo ad hoc vt executio fiat, teneatur debitor, contra quem facta fuerit executio, infra quinque dies, postquàm facta fuerit executio, exigere & recuperare res, & bona, in quibus facta fuerit executio, absque alia citatione, vel requisitione fienda pro his pignoribus, & rebus exigēdis, & recuperādis, soluendo totum debitum cum expensis, quibus diebus elapsis, nisi soluerit totum debitum suprascriptum cum expensis, possit creditor, qui dictam executionem fieri fecerit, impignare res mobiles, quas fecerit pignerari, vel capi, vsque ad quantitatem sui debiti, & expensarum, vel facere eas subastari, vel incantari in platea cōmunis Casalis maioris publicè, voce correrij pręmissa, & plus offerenti vendere, atque dare. Et pretium exinde recipere. Et si cōtingeret pretium ipsarum rerum excedere debitum cum expensis, teneatur creditor residuum pretij restituere debitori, seu facere eas æstimare prout infra. Et si executio facta fuerit in bonis immobilibus, possit creditor, qui dictam executionem fieri fecerit, facere, post lapsum dictorum dierum quinque, ęstimari ipsa bona immobilia per tres bonos viros illius viciniæ, vel contratæ, vel alterius viciniæ, seu cōtratę circunstātis, in qua sita fuerint ipsa bona, vel per tres bonos viros in talibus expertos eligendos per Dominum Potestatem de confidentibus ambarum partium. Et si ille, contra quem facta

cta fuerit executio, nõ comparuerit, vel eligere recusauerit, tunc ipse Dominus Potestas eligat tres de confidentibus illius, in cuius fauorem executio, vel pigneratio facta fuerit. Quos tres bonos viros, Dominus Potestas ad instantiam creditoris infra tertiam diem, postquàm super hoc fuerit requisitus, eligere teneatur. Et qui electi cogantur iuris remedijs dictam æstimationem facere, & referre Domino Potestati prædicto infra tertiam diem postquàm requisiti fuerint, & acceptauerint, si res fuerint in terra Casalismaioris, & si in curia, vel districtu, infra sex dies, & iurare debeãt bene, & diligenter, & sine dolo dictam æstimationẽ facere, æstimando quamlibet rem, seu quodlibet corpus rei per se, vel ad pertichã, seu iugerum, vel ad aliam mensuram, vel pondus. Et facta dicta æstimatione teneatur debitor facere datum in solutũ de dictis bonis creditori vsque ad quantitatem ascendentem debitum, & expensas, de illis videlicet, quæ elegerit ipse creditor, & residuum bonorum dimittere, & relaxare debitori in casu quo æstimatio facta excederet debitum, & expensas. Et si dictus debitor die, & hora sibi statutis per Dominum Potestatem, vel per correrium ex parte Domini Potestatis, nõ venerit, vel facere recusauerit dictum datum, tũc dictus Dominus Potestas ex officio suo, & debitoris loco, & nomine teneatur, & debeat dare in solutum dicto creditori dicta bona, seu de dictis bonis, quæ elegerit ipse creditor ascendentia, seu ascendentibus debitum cum expensis. Et residuum bonorum, si datio excederet debitum cum expensis, relaxare, vel relaxari facere debitori. Et talis datio valeat, & teneat inconcusse, & reuocari non possit. Et teneatur creditor eligere vnam rem, si vna sufficiat, ad sui crediti satisfactionem, & plures eligere non possit, si vna sufficiat. Possit quoque creditor bona, quæ subastata, & æstimata erunt modis & forma supradictis, vel partem eorum vsque ad quantitatem debiti & expensarum,

pensarũ, in se retinere pro eo pretio, vel æstimatione, qua fuerint subastata, vel æstimata. Efficianturque bona prædicta ipso iure creditoris facta subastatione, vel æstimatione prędictis, dummodo non retineat, vel non eligat nisi tot, & tanta ex eis, quæ capiant suũ debitum, seu creditum cum expensis. Et possit ille, contra quem facta fuerit executio, & venditio in bonis mobilibus, recuperare ipsa bona mobilia ab incãtatore, seu emptore dictarum rerum mobilium infra decem dies à die dicti incantus, seu subastationis, & ab ipso creditore, vel ab alio emptore, vel incantatore rerum immobiliũ in quibus facta fuerit executio, possit infra spatium vnius mensis à die dati in solutum, vel incantus, vel emptionis ea bona immobilia recuperare. Et prædicta, quæ loquuntur de æstimando, vendendo, vel impignando, non habeant locum contra debitores, qui vigore statutorũ possunt facta æstimatione contra eos, pro eo, quòd fuerunt cõtumaces, retractare, seu retardare executionem, si comparerent, & purgarent contumaciam suam infra tempus in statutis limitatum, & prędicta locum habeant in pręsentibus, præteritis, & futuris.



RVBRICA, DE PRINCIPALIBVS, & Confideiussoribus cogendis ad solutionem.

ITEM Statutum est, quòd si fideiussor aliquis conuentus fuerit, vel conuictus pro aliquo principali per sententiam, & soluerit, vel satisfecerit creditori, quòd eidem fideiussori contra principalem, & cōfideiussorem, & eorum, & cuiuslibet eorum bona fiat ius in exigendo, & consequendo totum, et quicquid soluerit pro dicto principali, vel confideiussore; vel de iure venerit exigendum, cum omni damno, & interesse (in quo damno, & interesse comprehendatur etiā pœna, & vsura per eum soluta, occasione dicti debiti per eum soluti) breuiter & summatim, sine strepitu, & figura iudicij, iuris ordine seruato, & non seruato, diebus feriatis, & non feriatis. Et quòd idem ius & beneficium habeat fideiussor contra confideiussores, & eorum bona, & possessores bonorum eorum.

Rubrica, de debitoribus cogendis ad extrahendum fideiussores suos de obligationibus.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd Dominus Potestas Casalis maioris, & quicunque alius Iusdicens, teneatur, & debeat ex officio suo compellere debitores, tā in persona, quàm in rebus, vt extrahant fideiussores ab obligationibus,

vide practicas observ. Andreae Gaill lib. 2. observat. 29. —

nibus, in quibus pro eis intercesserunt causa mutui, & alio. rum contractuum tantum, prçter quam tutelæ, & curatiæ, si per annũ steterint in fideiussione, & denunciauerint ipsi fideiussores Domino Potestati, aut alteri iusdicenti, seu ab eo requisiuerint quòd extrahantur, & liberẽtur à fideiussionibus per debitores eorum vt supra dictũ est. Et super hoc procedatur breuiter, & summarim, iuris ordine seruato, & non seruato. Et quòd principalis non possit vllo modo dicere volo soluere de bonis meis. Et intelligatur etiã fideiussor, qui probare possit per testes, vel instrumenta, vel aliter promissionẽ sibi factam de cõseruando ipsum indemnem.

Rubrica, de cessione iurium fienda per creditores.

ITem Statutum est, quòd primus creditor teneatur cedere iura secundo creditori soluẽti totum debitum, etiam si secundus non possideat. Et idem locum habeat in emptoribus, donatarijs, legatarijs, & alijs cõsimilibus. Saluo quòd primus creditor, & possidens possit offerre, & soluere secundo creditori, & petere iura sibi cedi à secũdo creditore.

Rubrica, vsque ad quòd creditor anterior possit defendere de bonis debitoris.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd creditor quãdocunque sit anterior non possit defendere de bonis debitoris quę possideat, aduersus alios creditores, vltra quãtitatem debiti sui, & expensarum, facta æstimatione de ipsis bonis per duos amicos à partib⁹ eligẽdos. Et si in discordia fuerint, quòd tertius per Dominum Potestatẽ adiungatur eisdem, de cõfidentibus partium, qui compelli debeant per Dominum Potestatem, delato eis sacramento, facere æstimationem prædictam. Et quòd Dominus Potestas teneatur, &

tur, & debeat cōpellere creditores anteriores ad prædicta, ad petitionem alterius creditoris hoç petētis, & prædictam fieri facere æſtimationem breuiter, & de plano, sūmatim, ſine ſtrepitu & figura iudicij; Et ſine aliquo libello, vel petitione. Et facta dicta æſtimatione, dictus Dominus Poteſtas teneatur anteriorem creditorem alteri poſteriori facere relaxare totum id, quòd reperiretur ipſum tenere de bonis ipſius debitoris ſui, vltra illam quātitatem ſui debiti, & expenſarum, & melioramenti. Et quòd ſi poſterior agat via ordinaria per hypothecariam actionem contra priorē creditorem, eundemque poſſeſſorem, quòd tunc Dominus Poteſtas teneatur aſsignare priori creditori poſsidēti, tantū quantum aſcendit id, quòd habere debet, & reſiduum relaxari facere ſecundo creditori, facta ęſtimatione vtſupra. Et hoc locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, de beneficio ceſsionis bonorum.

ITem Statutū eſt, quòd debitōres, qui bonis cedere voluerint, admittantur ad beneficium ceſsionis per hunc modum, videlicet, quòd teneantur comparere corā Domino Poteſtate perſonaliter, & nō per procuratorem, & petitionem ſuam in ſcriptis porrigere. Et citatis creditoribus ipſorum, vel facta proclamatione publicè ſuper platea Caſaliſ. maioris, dum tamē prius, & ante omnia ſua bona mobilia, & immobilia, & nomina, & pronomina debitorum, & creditorum dent in ſcriptis ad officium Domini Poteſtatis, vel Iudicis, coram quo dictum beneficium petitum fuerit & confiteantur debita. Et pulſata ratione tribus vicibus, teneantur perſonaliter, & non per procuratorē coram iudice rationis, ſedente pro tribunali, die iuridica & hora veſperarum tāgere ſtangam cum manibus tribus vicibus, dicendo qualibet uice. Cedo meis bonis, alta voce. Et ſeruatis prædictis

ctis admittatur, & admissus esse intelligatur ad dictum beneficium. Et facta cessione modo quosupra, debitor qui bonis cesserit, relaxetur de carceribus, si in ipsis fuerit, & habeat à tempore cessionis spatium vnius anni ad standum in terra, & districtu Casalismaioris, & ad cōcordandum secum dictis suis creditoribus, & si non concordauerit cum dictis creditoribus, quòd perpetuò stare debeat extra terram, & districtū Casalismaioris. Et si inuentus fuerit postea in terra, vel in districtu Casalismaioris, possit capi, & detineri, & in carceribus includi, si placuerit creditoribus, vel vni ex ipsis. Et quòd de dictis carceribus nō possit extrahi, nisi soluerit creditoribus suis, vel dederit bonos & idoneos promissores de soluendo debita creditoribus suis. Et cessio quam fecerit, habeatur pro nō facta, & vlterius non admittatur ad cessionis beneficium. Saluo quòd prædicta non habeāt locum in datijs, & gabellis cōmunis, & in oneribus & factionibus dicti cōmunis, nec in debitis mezadrorū, fictaliciorum & laboratorum terrarū. Et huic statuto renūtiari non possit, & renuntiatio facta non valeat, etiam si sacramento fuerit vallata.

Rubrica, de venditione bonorum illorum, qui cesserint bonis.

ITem Statutum est, quòd venditiones bonorum eorum qui cesserint, vel cedunt bonis & iuribus, possint & fieri debeant in hunc modum, videlicet, quòd Dominus Potestas Casalismaioris, siuè alius iusdicens, corā quo prędicta fuerint petita, debeat facere cridari publicè in platea Casalismaioris prædicta bona fore venalia, & quicunque vult veniat ad faciendū se scribi, & omnes creditores, prædictarum personarū veniant ad faciendū scribi instrumenta sua. Et facta dicta citatione, expectare debeat dictus Potestas, siuè iusdicens per dies quadraginta, antequam vendat

bona

bona prædicta, quibus elapſis, bona prædictarum perſonarum vendi poſsint generaliter, & ſpecialiter per Poteſtatẽ, vel iuſdicentem, plus offerenti, dum tamen fiat venditio in platea Caſaliſmaioris. Et quòd pretium prædictarum rerum ſoluatur, & ſolui debeat creditoribus talium perſonarum, vel deponatur penes idoneas perſonas eligendas per Poteſtatem, ſiuè iuſdicentem pro ſoluendo dictis creditoribus, nec poſsit alibi expendi niſi in ſolutione prædicta. Et quòd vẽditio prędicta, facta dicto modo, nullo modo poſſit reſcindi, nec res venditæ auocari per creditores dictarũ perſonarum, vel quamlibet aliam perſonam, niſi deceptio inueniatur vltra dimidiam iuſti pretij, habito reſpectu ad tempus venditionis, ſed ſemper firma remaneant apud emptores, & eorum hæredes.


Rubrica, quòd locatores, & domini terrarum, & poſſeſsionum præferantur cæteris creditoribus in fructibus natis in ipſis terris.

QVicunque locauerit terras, vel poſſeſsiones ſuas proprias, vel conductas alicui, vel aliquibus ad laborandum ad medium, ſeu tertium, vel quartũ, vel etiam ad affictum, ſi ipſe locator, vel Dominus debuerit recipere ab ipſo conductore, vel conductoribus aliquam pecuniæ quantitatẽ, ſeu bladi, vel feni quã dicat ſe mutuaſſe ipſi conductori, ſeu cõductoribus pro auxilio laborandi ipſas terras, vel poſſeſſiones, vel aliter habere debere, talis locator præferatur, & præferri debeat omnibus creditoribus ipſius cõductoris, vel conductorum obligatorum in omnibus fructibus natis in terris, & poſſeſſionibus ipſius domini, vel conductis, etiam quantumcunque à ſolo ſeparatis, dummodo ipſe locator, corporaliter tactis ſcripturis, iuret ſe mutuaſſe, vel aliter habere debere ab ipſo conductore,

vel conductoribus illam quantitatem pecuniæ, ſeu res pro laborerio terrarum prędictarum,ſeu pro auxilio laborandi dictas terras, vel alia quacunque de cauſa, & ſe debere recipere dictã pecuniam,ſeu res prædictas.Et ipſius iuramento ſtetur, & credatur omninò, niſi in contrarium probetur ſibi ſatisfactum eſſe.

Rubrica, quòd mezadri, laboratores terrarum, fictabiles, & mulinarij non poſsint cedere bonis.

STatutum,et ordinatũ eſt,quòd aliquis mezadrus,colonus partiarius, laborator terrarũ, aut mulinarius, ſeu emphyteota,aut malgarius, ſeu conductor beſtiarum cuiuſcunque conditionis exiſtant,pro aliquo debito,quod habuerint cum domino ſuo locatore,vel partiario,non poſſint cedere bonis, Et ſi ceſſiſſent, vel cederent, talis ceſsio nullius ſit momenti.



RVBRICA, DE PROHIBITIS contractibus, & distractibus filiorumfamilias.



ITEM Statutũ est, quòd nullus cõtrahat, vel quasi, nec distrahat cum filijsfamilias, nec aliqua alia persona existente in potestate aliena, principaliter, vel fideiubendo in eorum pręiudicium, nisi sit talis, qui sua negocia vt paterfamilias geret, & regat. (Et intelligatur sua negocia gerere, si per se seorsum steterit,) vel qui stando cum patre, vel auo negotia paterna, vel auita publicè, vt paterfamilias, administret, vel nisi consentiente patre, vel eo in cuius potestate est, vel nisi sit filius furiosi, vel mente capti maior viginti annorum; in quibus casibus valeant, & teneant cõtractus cum illis facti. Et saluo quòd contractus, & omnia gesta per filiosfamilias in eorum fauorem valeant, & teneant de iure.

Rubrica, quòd mariti non faciant vxoribus donationem propter nuptias, nec aliud, & quòd augumenta non valeant, nisi appareat vera traditio.

ITem Statutum est, quòd mariti de cętero non teneantur, nec debeant facere vxoribus donationem propter nuptias, nec morgincap, nec aliquid aliud vltra promissioné dotis, quàm acceperint ab vxoribus. Et hæc habeant locum in præsentibus, præteritis, & futuris. Et quòd instrumenta

augumenti dotis non valeant, nisi appareant bona, vel pecuniæ quæ dicuntur esse data in augumentum fuisse verè tradita,& assignata, vel numerata maritis,& hoc locum habeat in futuris tantum.

Rubrica, quòd datum factum in liberos emancipatos, vel vxores non obsit creditoribus.

ITem Statutum est,quòd si quis liberos emancipauerit,& datum fecerit aliquod in ipsis emãcipatis, vel vxoribus eorum de bonis suis, vel parte ipsorum,vel aliqua re singulari; Ex hoc nullum fiat præiudicium creditoribus anterioribus,siuè habeant bona obligata,vel non,sed de ipsis,& de illis solummodo fiat solutio tanquã si à patre possideantur. Saluo iure, & ratione vxoris. Et prædicta locum non habeant in vsufructu remisso, & concesso per patrem filio emancipato.

Rubrica, quòd alienationes prædiorum pupillorum non valeant,nisi ex iusta causa.

ITem Statutum est, quòd alienationes prędiorum, & iurium mobilium,vel immobilium pupillorum,& pupillarum non valeant ipso iure, nisi ex iusta & legitima causa probata in actis, & apud acta illius iudicis, qui interponet decretum dictæ alienationi, citatis prius generaliter per cridam correrij in platea cõmunis Casalismaioris, & ante domos ipsorum pupillorũ, & pupillarum parentibus,amicis, & consanguineis, quòd veniant ad contradicendum ipsis alienationibus ad sex dies, quæ citatio, seu crida scribatur in actis penes petitionem factam prius de prædictis.

RUBRICA, DE ALIMENTIS, & interesse dotium.



ITEM Statutum est, quòd de dotibus ascédentibus ad quantitatem quinquaginta librarum Imperialium, ab inde infra ratione alimétorum exigi possint per mulieré quatuor denarios ꝓ libra pro quolibet mése, in casu quo exactio dotis habeat locum, & non aliter, & ipsa muliere tantùm suam dotem repetente, seu protestante de volendo dotem exigere per publicum instrumentum per se, vel legitimum procuratorem, parte præsente, vel ad domum partis præsente aliquo de familia dictæ partis. Et de dotibus ascendentibus vsque ad quátitatem librarum centũ Imperialiũ, & abinde infra vsque ad quãtitatem librarum quinquaginta Imperialiũ, exigi possint denarijs tres Imperiales tantùm pro qualibet libra, & quolibet mense, & ipsa muliere dotem repetente, vel protestante vt supra, per se, vel legitimum procuratorem. A centum verò libris supra duo denarij exigi possint tantùm pro qualibet libra, & quolibet mense, ipsa muliere tantùm dotem repetente, vel protestante vtsupra, per se vel legitimum procuratorem. Et prædicta locũ habeant pro eo tempore tantùm, quo exactio fieri potest de iure. Quæ alimenta, & interesse dotis currant à die repetitionis, seu protestationis tantùm, Pro tempore verò quo dos exigi non potest, mulieres possint petere aliméta secundũ formã

iuris. Saluo quòd prædictam pecuniæ quãtitatem superius taxatam, mulieres petere non possint pro eo tempore, quo fuerint alimentatæ de bonis maritorum suorũ, seu eorum hęredum, nec pro eo tempore quo steterint in domo, vel super bonis maritorum. Et quòd bona aliqua non sint obligata pro alimentis, & interesse prędictis.

Rubrica, in quibus casibus dos exigi possit.

Item Statutum est, quòd si maritus cessauerit per tres annos cõtinuos præstare alimenta vxori, seu in domo sue, vel extra domum ipsius, & per eum steterit quominus ipsa alimenta percipiat, quòd vxor exigere possit dotem suam liberè in bonis ipsius mariti, & quæ erant ipsius mariti tempore sui matrimonij cõtracti, vel ab eo tempore citra, & in bonis cuiuscũque alterius ad dotem restituendã obligati. Et mulieres in casibus, in quibus dos exigi potest, possint defendere de bonis maritorum suorum à posteriorib⁹ creditoribus vsque ad dotis quantitatem iuxta æstimationem fiendam per duos amicos communes à partibus eligendos.

¶ Et de cætero ꝑpter nuptias donationes non fiant, nec morgincap, nec corredũ, nec quarta, sed solum fiat ex parte mariti cõsessio de dote ꝑ ipsum, vel aliũ pro eo recepta, Et quòd mulier maritata exeat de potestate patris, & eius in cuius potestate esset, & sui iuris sit, & esse intelligatur. Et hæc locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, de mulieribus transeuntibus ad secunda vota.

Item cum diutius consuetudo in terra Casalis maioris, & alijs partibus viguerit, quòd mulieres transeuntes ad secũda vota, vel vlterius, bona sua dederint in dotem liberè, & expe-

& expeditè, & irreuocabiliter abſque eo quòd aliquid filijs primi matrimonij relinquerint, vel relinquere, vel dare coa ctę fuerint; Ideo pro communi vtilitate, ſtatutũ, prouiſum, & ordinatum eſt, quòd mulieres, quę tranſiuerint ad ſecun dą vota, vel ulterius, & bona ſua dederint in dotem ſecũdo marito, vel vlteriori, quod illa datio fieri potuerit, attenta conſuetudine prędicta, & facta valeat, & teneat incõcuſsè, & quòd reuocari non poſſit & inuiolabiliter obſeruetur. Et mulieres prædictæ cogi non poſſint ad aliquid dandum, ſoluẽdum, & relinquẽdum filijs primi matrimonij, vel vlte rius, lege in contrarium loquente non obſtante. Et eodem modo mulieres, quæ tranſibunt in futurũ ad ſecunda vota, vel vlteriora, bona ſua in dotem dare poſsint ſecundo mari to, & vlteriori, & quòd dátio fienda per ipſos valeat, & te neat inconcuſsè, quòd reuocari non poſsit, & quòd mulie res prædictę cogi nõ poſsint ad aliquid dandum, ſoluendũ, & relinquendum filijs primæui matrimonij vel vlterioris, lege in contrarium loquente non obſtante, ex eo quòd de derint bona ſua in dotem ſecundo marito, vel vlteriori.



RVBRICA, QVOD QVI SOLVIT fictum per decem annos, cogatur ſoluere in futurum.



jdē ex collectis ... 303. n. 7.



ITEM Statutum eſt, quòd qui ſoluit fictum, vel alias conditiones per decem annos continuos, ſiuè vna vice, ſiuè pluribus, ſoluere cogatur in futurū. Et quòd emphyteuta nō poſsit renuntiare iuri emphyteutico abſque voluntate domini. Et econuerſo dominus non poſsit auferre rem emphyteutæ, ſi ſoluerit ſecundum formam iuris. Saluo, quòd prædicta locum non habeant in fictis, in quibus præceſſit venditio.

Rubrica, de inſtrumentis fictalitijs exhibendis domino.

ITem Statutum eſt, quòd fictalitij teneantur exhibere Domino poſtulanti inſtrumenta fictalitia ſuis expēſis. Saluo, quòd ſi iurauerint fictalitij ſe hoc non habere, nec dolo deſijſſe habere, compellātur facere domino nouum inſtrumentum ſecundum conſuetudinem conſortium, & vicinorum ibidem adhærentium. Et idem intelligatur de decimis conditionalibus. Et hoc fiat breuiter, & ſummatim per officium, & ſine ſtrepitu, & figura iudicij.

Rubrica, de retornatione fienda ſoluto prætio contento in Inſtrumento venditionis, & fictis præteritis.

ITem Statutum eſt, quòd ſi aliquis fecerit vēditionem de aliqua re, & poſtea ea die, vel poſtea quandocunque per illum,

illum,cui facta venditio fuerit, extiterit inueſtitus ad fictū, vel ad cenſum reddendum,vel ipſam rem ab illo,cui venditio facta fuerit,in locationem acceperit, quòd ille cui facta fuerit venditio prædicta, & qui dictam inueſtituram, ſeu locationem fecerit, & eius hæredes, vel qui cauſam habuerint ab eo, teneatur,& cogi poſſit facere datum, & retornationem de dicta re vendita venditori,& eius hæredi,& facere fines de fictis prædictis ſoluto pretio eiuſdem comprehenſo in inſtrumento dictæ venditionis, & ſolutis fictis temporis præteriti. Et prædicta vendicent ſibi locum in omnibus contractibus præſentibus, & futuris. Et huic ſtatuto renunciari non poſſit, & facta renuntiatione, non valeat,etiam ſi fuerit ſacramento vallata.

Rubrica, de ſtipulatione facta nomine alterius.

ITem Statutum,& ordinatum eſt,quòd ſi quis alieno nomine fuerit ſtipulatus,vel contraxerit,ſiuè habeat mandatum,ſiuè non,acquiratur actio,ſiuè ius ei, cuius nomine ſtipulatio, vel contractus factus fuerit, ſine aliqua ceſſione iurium inde facta per illum, qui ſtipulatus fuerit,vel cōtraxerit modo prædicto.Et quòd poſſit ipſe,& eius hæres tam per ſe quàm per procuratorem ſpecialem, vel generalem, tutorem,vel curatorem, & etiam actorem vti ſtipulatione, vel contractu, vel comprehenſis in eis perinde ac ſi ſtipulatus fuiſſet,vel contraxiſſet. Et hoc locum habeat in contractibus præteritis,& futuris.

Rubrica, de contractibus mutui, depoſiti, & mercati intelligendis pro duplicibus.

ITem Statutum eſt,quòd omnes contractus mutui,depoſiti, ac mercati, de quibus non ſint accepta bona aliqua

in ſolu-

in ſolutum per formam iuris,intelligantur duplices eſſe,dũ tamen probetur creditores fuiſſe tempore dictorum cõtractuum publicos vſurarios. Et intelligantur publici vſurarij illi, de quibus erit publica vox, & fama, quòd ſint publici vſurarij,vel tenendo,vel habendo pannũ ad hoſtium, vel mutuando ſuper cõtractibus publicè, vel de quibus probatum fuerit per teſtes bonæ famæ, & opinionis, & omni exceptione maiores. Et hęc locum non habeant in contractibus mutui facti, vel fiendi mezadris, vel laboratoribus terrarum.

Rubrica, de pœna recuſantis reſtituere depoſitum.

ITem Statutũ eſt, quòd quicunque recuſauerit reſtituere depoſitum,vel ſaximentũ apud ſe factum,& acceptum per ipſum alicuius rei, vel pecuniæ numeratæ,ſeu conſignatæ occaſione aliqua,puniatur in libris decem Imperialibus, & cogatur præcisè reſtituere depoſitum in pecunia numerata, nõ obſtante ſtatuto,quod loquitur quòd nullus poſſit detineri ſi voluerit ſatisfacere de bonis ſuis, &c. nec aliquo alio ſtatuto. Et quòd de prædictis poſſit, & debeat per iudicem cognoſci breuiter,& ſummatim,ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Et hòc locum non habeat in depoſitis fiendis, de quibus extent inſtrumenta, per perſonas quæ ſunt vſurarias,& intelligantur pſonæ vſurariæ, de quibus probatũ fuerit ſecundũ,ꝙ continetur in ſupraſcripto ſtatuto poſito ſub Rubrica de cõtractibus,mutui, depoſiti,& mercati.

Rubrica, quòd fructus feudorum cadant in obligatione pignorum.

ITem Statutum eſt, quòd fructus feudorum, & poſſeſſiones feudorum cadant in obligationem pignoris tacitã, vel expreſſàm. Et quòd hinc retro, intelligantur in obligationem

tionem tacitā vel expressam esse deducti, & deductæ, & in ipsā obligationē deueniant, si creditor voluerit illud tenere a Domino, dūmodo creditor faciat id Domino, quod tenebatur vassallus, & debitor si soluerit in pecunia creditori, amplius non teneatur creditor Domino in aliquo, sed feudum reuertatur ad debitorem cū suo onere. Et quæstiones feudorum de cætero terminentur per Dominum Potestatem Casalisinaioris.


Rubrica, quòd nullus cogatur ad fictum soluendum pro re occupata per Commune.

ITem Statutum, & ordinatū est, quòd nullus cogatur ad aliquod fictum, seu pensionem præstandam pro aliqua possessione, vel re occupata per commune Casalismaioris occasione murorum, vel fossarum, videlicet ad totam pensionem, vel fictum, si tota est occupata, & si pro parte, compellatur solum ad præstationem ficti pro ea parte non occupata.

¶Si verò terra, vel res emphyteotica, vel ad pensionem data non potuit, nec poterit coli, nec habitari propter metum guerræ, vel guerram, quòd durante ipsa guerra, vel metu ipsius guerrę nō debeat solui dictū fictum, nec pensionē de ipsa re. Et prædicta locum habeant pro tempore, in quo stabit, & steterit dicta possessio, & res totaliter, & particulariter occupata propter ipsā guerram, vel metū ipsius guerræ. Et omnes electiones factæ, vel quæ fiēt pro talibus fictis, & pensionibus nō solutis ipso iure nō valeant, & quicquid sequutum fuerit ex ipsis electionibus. Et quòd dicti fictalicij, & pensionarij ipso iure sint restituti ad ipsam rem emphyteoticam. Et quandocunque ipsa res potuerit, & poterit laborari sine metu guerræ prædictæ, tunc debeāt & incipiant currere ipsa ficta, & pensiones. Et hæc etiam habeant

locum

locum in perſonis non ſubiectis iuriſdictioni Domini Poteſtatis Caſaliſmaioris, quibus negetur ius in foro noſtro ciuili, ſi peterent ficta cõtra hoc ſtatutum. Et Poteſtas, qui ipſam perſonam non ſubiectam audiret, puniatur in libris quinquaginta Imperialibus.



RVBRICA, DE INSTRVMENTIS *Inuentariorum, & satisdatione præstanda per Tutores, parentibus pupillorum.*

ITEM Statutum est, quòd Tutores, & Tutrices teneantur exempla instrumentorum, inuentariorum, & satisdationum proximis parentibus pupillorum, si petita fuerint, dare ante ætatẽ cõpletam, tutela durante, expensis petentium. Et Tutores, & Tutrices, & Curatores ad negotia teneantur facere duo inuentaria eiusdem tenoris, quorum vnum remaneat penes se, & aliud ponant ad banchum iuris Casalis maioris; Et aliter non habeantur pro Tutoribus, nec Tutricibus, etiam si à testatore fuerit remissa inuentarij confectio.

Rubrica, de ratione reddenda per Procuratores, & similes.

ITem Statutum est, quòd si quis steterit negociorum gestor, Procurator, Syndicus, vel actor alicuius vniuersitatis, seu psonæ singularis, vel Tutor, aut Curator alicuius, & reddere voluerit ipse, vel hæres eius administrationis suæ rationem, & denuntiauerit eidem, vel hæredi eius, cuius administrationis tutelam, vel curam gessit, vel præsidentibus negotijs vniuersitatis, de qua denuntiatione appareat publicum instrumentum facta prædictis personis personaliter in præsentia testium bonę opinionis, (quę denũtiatio

X ter

ter debeat fieri,& in diuerſis dieb⁹,& diuerſis vicibus,quòd ille,ſeu illi, cuius, ſeu quorum negotia geſta sũt,vel tùtela, vel cura, vel alia adminiſtratio geſta,& eius hæres infra annum poſt denunciationem, rationem accipere, audire, & facere teneantur, Alioquin ſi non fecerint, nec audiuerint, nec receperint dictam rationem, trāſacto anno poſt dictas denũtias,dictus negotiorum geſtor,procurator, ſyndicus, aut actor,tutor,vel curator non teneatur amodo rationem reddere ſui geſtus,vel adminiſtrationis, ſed perinde habeatur,ac ſi legitimè rationem reddidiſſet,& reliqua præſtitiſſet, dum tamen dicta denuntiatio fieri non poſſit per tutorem, vel curatorē, nec eius hæredes minores viginti annis, & ſi facta fuerit,non valeat. Et prędicti tutores,curatores, & procuratores, negotiorum geſtores, ſyndici, actores, & alij adminiſtratores poſſint cōpelli ſimiliter reddere rationem de geſtis,& omiſſis, breuiter, & ſummatim, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & ad reſtituendum compelli,& non poſsint allegare beneficium ſtatuti, quod loquitur quòd nullus poſsit detineri,ſi voluerit ſatisfacere de bonis ſuis.

Rubrica,quòd bona procuratorum ſint obligata pro geſtis.

ITem cum contingat multoties procuratores conſtitui per aliquos ad exigendum,& debita recipiendum,& ad vendendum bona cōſtituentium,& procuratores ipſi vendant, & exigant, & pretia, vel debita exacta baratent, & non dent Dominis,& recedāt,& ſe abſentent ſic quòd Domini remaneant detruſati,& non habeant regreſſum cōtra bona talium procuratorum;idcirco ſtatutum eſt,quòd bona talium procuratorum intelligantur, & ſint obligata incontinenti poſt mandatum ipſis datum, & conueniri poſſint per dominos, & eorum hæredes perſonaliter, & etiam ſua bona poſsint peti,obligata,à quocunque poſſeſſore per ipſos

ipsos Dominos, vel eorum hæredes pro exactis, & receptis per ipsos procuratores.

Hæredes per proc. obligati. pro. . . 38. 6. q. 6.


Rubrica, quòd tutelæ, & similia possint fieri in alio loco quàm in loco soliti tribunalis.

ITem cum multæ tutelæ, curæ, actoriæ, & inuentaria sint factæ, & facta, cõstituta, & cõstitutæ, decretæ, ac decreta corã Potestate Casalismaioris, vel alio iusdicẽte, vel aliquo eorũ in alio loco, q̃ vbi ius reddi cõsueuit per eos, & eorum prædecessores, de quibus dubitari possit, Vtrum valeant ex eo quòd prædicta facta non fuerint coram iudice pro tribunali sedente; ideò statutum, & ordinatum est, quòd tutelæ, curariæ, actoriæ, & inuentaria occasionibus prædictis, vel aliqua earum factæ, & facta, constitutæ, & constituta, decretæ & decreta in alio loco, quàm vbi Potestas sedere consueuit, valeant, & teneant de iure ac si facta, factæ cõstitutę, constituta, decretę, ac decreta forent in loco vbi pro tribunali sedere consueuit. Et eodem modo curæ, tutelę, actorię, & inuentaria, fiendæ, & fienda occasionibus prædictis, vel aliqua earum, fieri possint, & decerni, & facta, & decreta valeant per præfatum Dominum Potestatem, seu alium iusdicentem vbilibet, & in qualibet parte terræ, & districtus Casalismaioris, & sic factę facta & decreta valeãt, & teneãt de iure, ac si factæ, facta, & decreta forent per ipsum Dominum Potestatem, seu iusdicentem, & coram eo in loco, vbi pro tribunali sedere consueuit, & prædicta fieri debuerunt.

¶Insuper statutum, & ordinatum est, quòd in omni casu vbi est necessaria auctoritas, siuè decretum Domini Potestatis, siuè alicuius iusdicentis, quòd illud, & illa interponi possit in quocunque loco terræ, & districtus Casalismaioris per ipsum potestatem, & seu iusdicentem perinde & sicut possent in loco, vbi pro tribunali sedere cõsueuerunt,


 & quoli-

& quolibet die tam feriato, quàm non feriato, dum tamen prius ipsum locum, vbi prædicta facere voluerit, eligat pro suo tribunali quantum ad prædicta. Et si casus occurreret quòd aliquis ad prædicta citari deberet, quòd ille talis postea citetur ante interpositionẽ auctoritatis, vel decreti, ad illum locum, dum tamen ille locus sit habilis, & non suspectus citato, vel citando.



RVBRICA, DE SVCCESSIONIBVS ab inteſtato.





TEM Statutum eſt, quòd mortuo aliquo, vel aliqua ex aſcendentibus ab inteſtato, mulieres ex eis deſcendentes ad ſucceſſionem ſuorum parentum aſcendẽtium maſculorum, & fœminarum non admittantur cum fratribus, nec cũ maſculis ex eis deſcendentibus, ſi dotatæ inueniantur, per quemcunque dotatę inueniantur, ſeu dotatæ fuerint, vel ſi parentum aſcendentium maſculorum voluntates ſuper eis non dotatis manifeſtæ fuerint quantum de ſuo habere voluerint, ſi autem dotatæ non fuerint, vel parentum aſcendentium maſculorum voluntates manifeſtæ non fuerint quantũ de ſuo habere voluerint, tunc ſi fratres, vel ex eis deſcendentes maſculi dotare eas mulieres voluerint ſecũdum vires patrimonij dictorum parentum aſcendentium maſculorum, & fœminarum; dictæ mulieres non ſuccedant cum eis. Si autem dotare euitauerint, legitimam mulieres poſſint petere, & habere debeant in bonis parentum aſcendentium maſculorum, & fœminarum, & vltra legitimam, petere, & habere non poſſint.

Rubrica, de eodem.

ET mulieres ex eis deſcẽdentes admittantur ad ſucceſſionem matris, auiæ, & proauiæ, non extantibus maſculis ex ipſis matre, auia, & proauia deſcẽdentibus,

bus, ſecũdum formam iuris communis. Extantibus autem maſculis deſcẽdentibus ex matre, auia, & proauia, ipſi maſculi præferantur in earum ſucceſſione omnibus agnatis.

Rubrica, de eodem.

ET nec mater, nec auia, nec aliqua alia pſona ex linea materna aſcendens, vel deſcendens, vel collateralis præferatur agnatis coniunctis ex linea paterna, nec cum eis ſuccedat vſque ad quartum gradum incluſiuè; (Et gradus intelligatur ſecundũ canones.) Et deficiẽtibus agnatis vſque ad gradum prædictũ, quod mater, & aliæ perſonę ex linea materna coniunctæ admittatur ad ſucceſſionẽ cognatorũ ſecundum formam iuris communis. Saluo ſi perſonæ aſcendentes, vel deſcendentes, ſeu collaterales agnatæ eſſent fęminæ, vſque ad quartum gradum incluſiuè, quod tunc mater alimenta habere debeat ex bonis filij ſecũdum facultates bonorum, ipſa matre perſeuerante in viduitate poſt mortem mariti ſui, patriſque filij ſui, & non exigente dotem, nec augumẽtum dotis ſuæ. Et clauſula ſupraſcripta de alimentis, locũ habeat in caſibus, in quibus de iure communi ad ipſam matrem ſucceſſio de iure ſpectaret.

Rubrica, de eodem.

ET fratres cõiuncti, ex linea patris tantum, ſuccedant fratri ſibi coniuncto ex patre tantum, cum fratribus vtroque parente coniunctis in bonis ex linea maſculina. Et idem ſeruetur in ſororibus venientibus ad ſucceſſionem ſororum, & fratrum decedentium ſine maſculis eodem patre tantum cum ſororibus vtroque parente coniunctis.

Rubrica,

Rubrica, de eodem.

ET quòd filij,& filię fratris æqualiter ſuccedant fratri, & ſorori patris cũ patruo,& amita in ſtirpes, & non in capita, & idem intelligatur quando ſine patruo veniunt ad ſucceſsionem.

Rubrica, de eodem.

ET ſorores, & ex eis deſcendentes, nec fratribus, nec maſculis ex ipſis deſcẽdentibus præferantur, nec cũ eis ſuccedãt in qualibet ſucceſsione cuiuslibet agnati, vel cognati, niſi eas ſecundum vires patrimonij ſui dotare euitauerint.

Rubrica, de eodem.

ET filij,& filię ſororum æqualiter ſuccedant ſorori patris vnà cum materteris, in ſtirpes, & non in capita. Et idem intelligatur quãdo ſine materteris veniunt ad ſucceſsionem.

Rubrica, quòd maritus vxori ſuccedat non extantibus liberis ex eodem matrimonio.

ITem Statutum eſt, quòd maritus vxori ſuccedat non extantibus liberis ex eodem matrimonio; his verò extantibus dos ad liberos ex eodem matrimonio pertineat, ipſius dotis vſufructu ad maritum ſpectante; In alijs verò bonis ad ipſam vxorem ſpectantibus vltra dotem, filij ex quocũque matrimonio ſuccedant inſolidum, abſque eo, quòd pater in ipſis bonis habeat vſufructum, his vero non extantibus, eius ſucceſsio deuoluatur ad filios, ſiuè ad deſcendẽtes ex alio matrimonio, qui extãt, quarta remanentẽ marito. Et aliquibus filijs, vel deſcendentibus non extantibus

bus ex ipſa muliere, eius ſucceſſio deuoluatur ad maritum ipſo iure ſine aliqua apprehenſione, vel aditione, vel animi declaratione. Saluo quòd maritus poſſit hæreditatem vxoris repudiare, ſi voluerit. Et hęc vendicent ſibi locum in pręſentibus, præteritis, & futuris. Saluo quòd prædicta non habeant locum in marito occidēte, vel occidi faciente vxorē.

Rubrica, quòd nullus excludatur à ſucceßione, ex eo quia non vendicauerit necem mortui.

ITem Staturū eſt, quòd nulla perſona cuiuſcunque ſexus, & conditionis exiſtat, vel ætatis, ea ſola ratione excludatur à ſucceſſione patris, vel parentis, vel alterius propinqui, pro eo quòd non vendicauerit necem mortui.

Rubrica, quod mulieres in feudis ſuccedant.

ITem Statutum eſt, quòd mulieres in feudis ſuccedāt, quę ſunt honorifica, in quorum feudorum inueſtituris, ſeu inſtrumentis non contineatur quòd vaſſallus teneatur Domino ad aliquod ſeruitium perſonale, & hoc locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, quòd poſſeßio bonorum tranſeat in hæredes.

ITem Statutum eſt, quòd mortuo aliquo, poſſeſſio bonorum hæreditariorum mortui tranſeat in hæredem eius ipſo iure ſine aliqua apprehenſione. Et ſi quis, qui non fuerit hæres, ingrediatur poſſeſſionē bonorum hęreditariorū, ingreſſus ſit nullius momenti, & ſoluat pro banno centum ſolidos Imperiales. Et quilibet poſſit hæreditatem ſibi delatam tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato repudiare, & ab ea abſtinere.

RV-

RVBRICA, DE TESTAMENTIS.

ITEM Statutũ est, quòd quodlibet testamentum nuncupatiuũ ab hinc in antea, & ab hinc retro valeat, & probet ac si in scriptis factũ esset, dum tamẽ habeat subscriptionẽ vnius boni, & legalis notarij, sine subscriptione illius notarij, qui scripsit testamentum, habendo solemnem numerum quinque testium bonæ opinionis, & famæ. Et idem intelligatur de codicillis, & qualibet vltima voluntate, scilicet, quòd adsint quinque testes, & subscriptio vnius notarij. Et quilibet masculus maior quatuordecim annis, & quælibet mulier maior duodecim annis possit testamentũ facere, & mutare, licet in se nõ retineat arbitrium mutandi.

Rubrica, quantum relinqui possit vxori.

ITem Statutum est, quòd nullus terræ, vel districtus Casalis maioris siuè Lõgobardus, siuè Romanus possit aliquo modo, vel ingenio vxori relinquere, aut eã hęredẽ instituere de bonis ipsius, vltra quãtitatem librarum vigintiquinq; Imperialium. Saluo quòd possit vltra prædicta vxori relinquere pro alimentis vsque ad quãtitatem librarum viginti Imperialium pro quolibet anno, ipsa muliere interim dotem, & legatum dictarũ librarum vigintiquinque Imperialium non repetente, vel exigente; & si vltra relinquat, sit vanum, & cassum. Et quòd vestes lugubres factæ per hæredes defun-

defunctorum, vxoribus eorum defunctorum remaneat, & restituantur ipsis hæredibus, si contingat ipsas ad secunda vota, vel vlteriora transire, si reperiantur tunc extare.


Rubrica, quòd mulier non possit alienare dotem, nec super dote uel alijs condere testamentum.

ITem Statutum est, quòd nulla mulier possit vendere, vel donare dotem, neque augumentum dotis, neque super ipsis condere vltimam voluntatem absque consensu, & volūtate mariti sui. De alijs verò rebus ad se legitimè ptinētibus, possit contrahere liberè, & vltimam voluntatem cōdere possit absque consensu mariti sui; dum tamen marito suo quartam partem relinquat in ipsa vltima voluntate, & si non reliquerit, testamentum, & vltima voluntas valeat, & maritus nihilominus petere, & retinere possit in bonis prædictis quartam partē perinde ac si esset hæres in quarta parte institutus. Et hæc locum habeant de quarta parte marito relinquenda non extantibus filijs ex eodem matrimonio. Si verò extarent filij ex alio matrimonio, quartam partem marito relinquat, seu soluere teneatur. Et hæc locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris.

Rubrica, de vltimis voluntatibus defunctorum executioni mandandis.

ITem cū multotiens volūtates defunctorum executioni mandari non possint ex eo quia succedentes hæreditatem adire non volunt; Ideò statutū est, quòd si ex parte Potestatis Casalis maioris præceptum fuerit succedentibus ex testamento, vel ab intestato, quòd infra terminum sibi per Dominum Potestatem statuendum debeāt hæreditatē defunctorum adire, vel se hæreditati immiscere, & si ipsi tales

tales ſuccedentes hæreditatem adire, vel ſe ipſi hæreditati immiſcere recuſauerint, vel etiam ſe abſtinuerint, vel non renunciauerint, ſeu repudiauerint legata relicta,& quæcunque diſpoſita per ipſos defunctos, peti, & executioni mandari poſsint perinde ac ſi hæreditas legitimè foret adita. Et hoc in bonis relictis per ipſum defunctum tantum.



RVBRICA, DE IMMVNITATE legum Doctorum, & Magistrorum Grammaticæ, Physicæ, & Cyroicæ.





TEM cũ Doctores legum, Physicæ, & Cyroicæ, & Magistri Grãmaticæ, cõtinuè stare debeant ad docendum scolares, & discipulos instruendum, & non possint se separare quin doceant, sine maximo incõmodo scolarium, & infirmorum qui per eos medicantur, & conueniens sit ipsos inter alias personas aliquam prærogatiuam habere; Ideo statutum, & ordinatum est, quod dicti Doctores, & Magistri sint priuilegiati, & absoluti, & pro absolutis esse habeantur, & teneantur ab omnibus oneribus personalibus.

Rubrica, quòd vnicuique liceat facere artem suam.

ITem Statutum est, quòd quælibet persona cuiuscunque conditionis, vndecunque sit, possit, & ei liceat facere, & exercere artem suam, & ministerium suum in terra Casalis maioris, & eius districtu liberè, & impunè, dum tamen faciant bene, & legaliter, non obstantibus aliquibus statutis, seu cõsuetudinibus aliorum paraticorũ, dum tamẽ intrent paraticum illius artis, quam intendunt facere, & exercere, & si contrafecerint, puniantur per Dominum Potestatem secundum eius conscientiam, inspecta qualitate facti, & conditione personarum.

RVBRICA,

RVBRICA, DE ORDINE CRIDARVM fiendarum pro venditionibus.





Item Statutum & ordinatum eſt, quòd ſi qua perſona, Commune, Collegium, vel vniuerſitas, quibus non ſit alienatio interdicta de iure communi, vel municipali, de cætero voluerit vendere alicui perſonæ, communi, collegio, vel vniuerſitati terræ, vel diſtrictus Caſaliſmaioris, vel alicui habili ad emendum aliquam rem immobilem, quã poſſideat, & gaudere voluerit beneficio horum ſtatutorũ, debeat antequàm vendat, perſonaliter, vel per perſonam ſpeciale mandatum habentẽ, coram Domino Poteſtate Caſaliſmaioris, vel eius Locumtenente comparere, & in ſcriptis dare, & ſuo ſacramento firmare, quòd vult vendere ipſam rem immobilem, declarando ipſam per ſitum, ſeu locum, & contratas, ſeu cohærentias, & etiam per quantitatem, ſeu numerum iugerum, perticarum, bubulcharum, vel circa, congrua congruis referẽdo, ſi ſit talis res, quæ commodè menſurari poſſit; Et ſi commodè menſurari non poſſit, eo caſu declaretur per ſitum, ſeu locum, & cohærentias, ſeu confines, & declaretur res vendenda ad minus per tres cohærentias, & perſona, cui vẽndere voluerit, & quantitas pretij, pro qua facere voluerit, & velit dictam venditionem, & ipſam talem ſcripturam dimittere notario officij in libro ponendam. Et facere, & procurare, quod infra tertiam diem à die comparitionis factæ, per ipſum notarium in libro ponatur, ſaluo

ſemper vt infra dicitur. Et quòd ipſa talis perſona, cõmune, collegiũ, vel uniuerſitas, quæ, vt pręmittitur, vendere volue rit, & in ſcriptis detulerit, ꝓcuret, & faciat quòd infra tertiã diem, à die comparitionis, crida, ſeu proclamatio, voce præ conis pręmiſſa, fiat mãdato eius, coram quo comparuerit, ad dandum in ſcriptis vtſupra, ſeu eius ſucceſſore, vel Locumtenẽte, publicè, & alta voce in platea cõis Caſaliſmaio ris, hora tertiarum, ſeu veſperarum, etiam hora ſufficienti, & de die clara, in cõtrata illius, qui vendere voluerit, & etiã tribus vicibus in hebdomada, & diuerſis diebus, videlicet die Dominica, die Martis, & die Iouis, etiam ſi dicti dies inciderint in diem feriatam, quæ ſit introducta in honorẽ Dei, & alijs tribus vicibus in alia hebdomoda, videlicet, die Dominica, die martis, & die Iouis prout ſupra in locis pędi ctis. Et vna alia vice in die Dominica ſequẽti in terra Caſaliſmaioris, in publica platea dictę terrę, & in terra, vel loco, vbi ſunt bona vendenda, in publica platea ipſius terræ, vel loci. & ſi ibi non fuerit platea, fiat in vna ex petijs terrarum vendendis, clamãdo, exprimẽdo, & vulgarizando publicè, & alta voce effectum comparitionis coram ipſo Domino Poteſtate, ſeu Locũtenente factæ, & quamlibet petiam terræ, cum cohærentijs, & loco, vbi iacet quælibet petia terræ, Sicut talis perſona commune, collegium, vel vniuerſitas dedit in ſcriptis, & ſuo ſacramento firmauit; ſe velle vende re ipſam talem rem immobilem cum declaratione pręmiſſa, de loco, contrata, cohærentijs, numero iugerum, bubulcharum, & perticarum, vel circa, Et ſi qua perſona, commune, collegium, vel vniuerſitas eſt volens dicere, ſeu habe re prætendens ius aliquod in ipſa tali re, vel ſuper ipſa tali re, vel aliqua parte ex ea, vel habere debere aliquid à prædicto vẽdere volente, debeat infra menſes tres, poſt ipſas omnes proclamationes immediatè ſequentes per ſe, vel alium, eius nomine, coram ipſo D. Poteſtate, vel eius Locumtenente,

tenente, coram quo facta fuerit dicta comparitio de vendendo, vel coram eius successore, vel Locumtenente comparere, & in scriptis dare ipsum tale ius, quòd in ipsa, vel super ipsa re, vel aliqua parte ex ea habet, seu habere prætēdit, & quicquid habere debet à prædicto vendere volente, dimissis in scriptis copijs ipsius proclamationis fiendę, vna ad plateam communis Casalismaioris, alia ad dictam contratam venditoris, & alia ad plateam illius terræ, in qua, seu in cuius territorio erunt bona prædicta. Et si ibi platea nō fuerit, dimittatur in vna ex petijs terrarum vendendis vtsupra. Quæ cridę fiant vtsupra, & earum impositiones, & relationes possint fieri die feriato, & non feriato, nisi fuerint feriæ in honorem Dei, & Sanctorum eius, introductę per statuta communis Casalismaioris. Saluo semper, vt infra dicitur.

Rubrica, de pœna dantis bona in scriptis, quæ non possideat.

ITem non sit aliqua persona vendere volens, quæ audeat, vel præsumat dare in scriptis aliquam, seu aliquas petias terrarum, seu bona, quas, & quæ non possideat, sub pœna cuilibet contrafacienti florenorum centum auri, pro qualibet petia terrę, seu re, applicandorum communi Casalismaioris, & restitutionis damni in duplum ei, qui exinde damnum passus fuerit.

Rubrica, de proclamationibus fiendis.

ITem Statutum est, quòd factis proclamationibus antedictis, & elapso termino trium mensium, si qua persona, commune, collegium, vel vniuersitas, non comparuerit ad dandum in scriptis eius ius, quòd haberet, vel habere prætenderet, per se, vel per alium, super dicta re immobili, aut aliqua parte eius, & id quòd habere debet à prædicto uen-

dere uolente; Eo casu illa talis persona, commune, collegium, vel vniuersitas, quæ vt præmittitur, vendere voluerit vtsupra, possit ipsam talem rem, & quālibet partem ipsius vēdere liberè, & absque eo quòd dare teneatur fideiussores pro ipsa venditione, & emptio possit fieri vtsupra absque eo quòd emptori, vel emptoribus, vel eius hæredibus, vel successoribus suis possit vllo tempore aliquid peti, nec vlla quæstio moueri super ipsa tali re, vel eius occasione, per aliquam personam, commune, collegium, uel uniuersitatem, quæ habuisset, uel prętendere posset se habuisse aliquod ius in ipsa tali re, uel aliqua parte ipsius, uel aliquid habere debere à prædicto uendere uolente, & non comparuerit, & ius suum in scriptis non dederit in prædicto termino, nec per eorum hęredes, scilicet pro aliquo iure, quòd habuisset, uel habuisse prætendere potuisset ante dictam uenditionē, immo etiam ipsa talis res taliter uendita, eo casu sit, & esse intelligatur libera ab omni onere, & nexu obligationis, & hypothecæ, & etiam à quacunque personā, & personis, cōmuni, collegio, & uniuersitate, & irreuocabiliter fiat emptoris, seu emptorum, dum tamen ipsa uenditio fiat infra unum annum proximum post ipsas proclamationes. Ita etiam & eo intellecto, quòd si qua persona, commune, collegium, uel uniuersitas prætenderet, seu prætendere posset, ius acquisiuisse, uel super ea re, uel aliqua parte ipsius ab eo uenditore, à die earum proclamationum, uel alicuius earū, usque ad diem uenditionis fiēdæ, quòd tale ius prædictum non possit prædicto emptori, uel eius successori obesse per respectum ad ipsam rem uendendam modo, & forma prædictis. Saluo semper iure cuilibet, quòd haberet, uel habere prætenderet mediatè, uel immediatè tempore ipsius emptionis, & etiam abinde in antea ab emptore, seu emptoribus contra ipsum emptorem, seu emptores, ac etiam alia sua bona, & saluo semper ut infra dicitur.

Si

SI uerò infra tempus prædictum ipsorum trium mensium comparuerit aliqua persona, una, uel plures, cōmune, collegium, uel uniuersitas, suo, uel alieno nomine, ad dandum in scriptis ius, quòd prętendit habere in aut super ipsa re uendenda, uel aliqua parte ipsius, uel illud, q̄ habere prętendit, utsupra continetur, dictus comparens habeat spatium unius mensis ad probandum, & probatum habendum illud, quòd dederit in scriptis, à die comparitionis per eum factæ computan. Et si infra dictum mensem non probauerit de iure suo, habeatur ac si non comparuisset. Si uerò probauerit de iure suo infra dictum mensem computandum utsupra, tunc, & eo casu, si emptor compareat, & petat sibi fieri uenditionem de ipsa tali re, iurare debeant ipsi uēditor, & emptor coram ipso Domino Potestate, seu eius Locumtenente, totam ueram quantitatem pretij, pro qua ipsa res uendi contigerit. Et quòd ipsa uenditio est bona, & uera, & non fictitia, nec simulata, nec in fraudem facta. Et præstito sacramento prædicto pronuntietur infra quinque dies utiles, quòd uenditio prædicta fieri possit libere, ut præmittitur. Et facta pronunciatione prædicta, infra alios quinque dies pretium ipsius uenditionis penes aliquā sufficientem bonam, & idoneam personam, subiectam iurisdictioni communis Casalismaioris, & commorantē in terra Casalismaioris deponatur. Quod pretium, seu depositum prædictum succedat loco rei uenditæ, & de eo disponatur, fiat, & distribuatur inter eos, qui comparuerint utsupra, prout fieri debuisset de iure, & ex forma statutorum de ipsa re uendita, cuius pretij, seu depositi, distributio fieri debeat infra quindecim dies à die depositi facti numerandos, sub pœna librarum uigintiquinque Imperialium Potestati, uel eius Locumtenenti, qui dictam distributionem facere teneretur ex forma præsentis Statuti.

¶Si uerò emptor nominatus, & in scriptis datus, non

comparuerit, nihilominus per ipsum Dominum Potestatem, vel eius successorem, vel Locūtenentem, possit, & debeat, ad instantiam prędictorum omnium, & singulorum, qui comparuerint, & probauerint vtsupra, & etiam cuiuslibet vendere volentis vtsupra, & cuiuslibet, cuius intererit, vel cuiuslibet alterius eorum, procedi, cognosci, & terminari, summariè, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, absque datione libelli, seu petitionis, & quanto summarius, & expeditius fieri poterit, & appellatione, & querela qualibet remota, & quolibet die feriato, & non feriato, exceptis ferijs introductis in honorem Dei, & sanctorum eius, secūdum quòd supradictum est, de iure cuiuscunque ipsorum, qui, vt præmittitur, comparuerit, & super prædictis omnibus taliter, & talem ordinem imponendo, & finem, quòd ipsę res vendātur liberè cuilibet comparēti vtsupra, & plus offerenti, vt de pretio, seu deposito prædicto responderi, & satisfieri possit, & debeat illi, seu illis, quibus de iure debebit, vel prout deliberabitur, & terminabitur vtsupra; Et in casu quo nullus compareat emere volens dictā rem, quòd nihilominus similiter, & eodem modo cognosci, & terminari possit de, & super ipsa re, seu rebus vendendis vtsupra, cuicunque prædictorum superius nominatorū attribuendo, & declarando per eius sententiam illud ius suum in ipsa re competere, singula singulis cōgruè referendo. Et super prædictis pronuntietur, & fiat per ipsum Dominum Potestatem, seu eius Locumtenentem, vel eius successorē, pro vtsupra dictum est, infra quindecim dies computandos à die vltima dicti termini probatorij; Ita etiam, & taliter, quòd illi, qui comparuerint vtsupra, nullum ius habeant, nec habere intelligantur in ipsa tali re vendenda, seu vēdita forma prædicta, nec eius pretio. Saluo tamen prout infra in capitulis loquentibus de minoribus, & absentibus continetur. Saluo etiam quòd partes, & comparentes ad prædicta possint se

ad inuicem componere, & omnem compositionem, transactionem,& concordiam facere de prędictis, & eorum occasione ad decisionem,& expeditionem,& declarationem prædictorum. Saluo tamen iure cuilibet creditori comparenti vtsupra habendi, & possendi habere, & emere talem rem pro maiori pretio, quàm vendere volens dixerit, & iurauerit se velle vendere, quo casu ipse volens vendere, cogatur vendere ipsi creditori volenti emere, & plus offerenti. Et ita sit dicta res libera prout supra continetur, si ipsa venditio facta non fuerit infra annum prædictum. Et si comparuerint plures creditores emere volentes, eo casu detur plus offerenti, & sit libera vtsupra. Si uerò infra ipsos terminos cridarum, singula singulis referendo, comparuerit aliquis per se, uel aliū pro eo, qui ostenderit, & dixerit quouismodo rem uendendam esse suam, uel sibi pertinere iure dominij, uel quasi, uel utilis, tunc, & eo casu ipsæ res non uendantur, nec uendi debeant ipso tali inuito comparente. Et si contra, aut præter dictam formam uendita fuerit, non teneat, nec ualeat ipsa uenditio.

SI uerò cōparuerit aliquis, qui sit tutor, uel curator alicuius minoris uiginti annis uendere uolens utsupra, teneatur ipse tutor, uel curator, qui talē uēditionem facere uoluerit, sub pęna librarum quinquaginta Imperialiū, notificare ipsi Domino Potestati, uel eius Locumtenenti, quod ipse uolens dictam uenditionem facere, est tutor, seu curator talis minoris. Qui Dominus Potestas, uel eius Locumtenens, si minor annis uiginti, uel aliqua persona pro eo, uel eius nomine non comparuerit, asserens & prętendēs ipsum minorem habere ius in ipsa re, uel aliquid habere debere à prædicto uendere uolente, pro eius tutela, uel cura nondum finita, teneatur citari facere, etiam ex officio suo, ipsum minorem, & duos eius minoris propinquos ex parte

patris,

patris,& his deficientibus ex parte matris, quibus notificetur parte ipsius Domini Potestatis, vel eius Locumtenentis, quòd talis venditio fieri vult; Et si dictus minor, vel aliquis ex dictis eius parentibus propinquioribus comparuerit, & protestetur ipsum minorem habere ius in ea re, vel aliquid habere debere à prædicto vendere volente, pro eius tutela, vel cura, non valeat, nec fieri possit talis venditio in præiudicium ipsius minoris, Et venditio contra, seu præter modum, & formam prædictos facta, non valeat in præiudicium prædicti minoris; & intelligantur propinquiores minoris, quos Dominus Potestas, seu eius Locumtenens declarauerit esse propinquiores ipsius minoris, qua declaratione facta, aliqua probatio in contrarium non admittatur, nec admitti debeat.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd quilibet, qui, vt præmittitur, comparuerit ad dandum in scriptis suum ius, iurare debeat, quòd id non facit per malitiam, nec fraudem, nec animo impediendi malitiosè venditionem illam, cuius nomine comparebit.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd hoc statutum, & alia suprascripta non se extendant, nec locum habeant in persona pupillorum, & minorum decem & octo annis, nec in persona furiosorum, nec mentecaptorum, nec per prędicta aliquod eis prędiudicium fiat, & generetur, nec etiã per prędicta aliquod prędiudicium fiat personis nõ habentibus ius agendi tempore comparitionis prædictæ factæ per vendere volentem.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd hoc statutum, & alia suprascripta non se extendant, nec locum habeant ad bona data inęstimata, vel quæ darentur in dotem inęstimata,

mata, nec in bonis dotalibus inęstimatis, nec etiam ad, vel contra vxores, nurus, vel pronurus talium vendere volentium vtsupra, constāte matrimonio, pro iure dotiū suarum, vel rerum parafrenalium, nec extēdantur ad filios, nec ad alios descendentes talis vendere volentis existentes in potestate ipsius vendere volentis tempore dictæ venditionis, quantum est pro dotibus quōdam matris, vel auiæ, vel alterius ascendentis, nisi prædicta venditio fiat cum consensu legitimo, & expresso dictorum talium descendentiū vxoris, nurus, & pronurus, dummodo sint maiores ætate annorum viginti.

ITem Statutum, & ordinatum est, quòd maiores decem & octo annis, & minores uigintiquinque, & quælibet persona absens à terra, & districtu Casalisinaioris, necnon dominæ viduæ, pro iuribus dotium suarum, & rerum parafrenalium, & quilibet prædictorum, qui essent in casibus suprascriptis, vel aliquo eorum vtsupra, tempore proclamationum, vt præmittitur, fiendarum, habeant, & habere intelligantur spatium quatuor mensium, computandorum vtsupra, ad comparendum, & in scriptis dādum ius suum, per se, vel alium eorum nomine vtsupra, & spatium vnius mensis computan. vt supra dictum est in termino triū mensium ad probandum de iure suo, singula singulis, & cōgrua congruis referendo. Et quòd sufficiat, & similiter ostendi, fieri, & procedi possit in omnibus, & per omnia vtsupra cōtinetur, & non intelligantur absentes, qui infra mensem à tempore dictarum proclamationum, vel alicuius earum computan. reperirentur, vel essent in terra, vel districtu Casalismaioris.

ITem Statutum est, quòd per prædicta, vel aliquod prędictorum non tollatur, nec auferatur ius aliquod Illustrissimi

ſimi Principis, & Excellentiſſimi Domini Domini noſtri, & communis Caſaliſmaioris, nec alicuius eorum, nec ſibi in aliquo præiudicetur, nec præiudicatum eſſe intelligatur.

ITem Statutum eſt, quòd Correrij communis Caſaliſmaioris, qui requiſiti fuerint occaſione proclamationum venditionum fiendarum de bonis immobilibus, debeant habere ſolutionem prout infra, videlicet; Si res ſit vendita in terra Caſaliſmaioris, vel eius burgis, non poſſint accipere vltra vnum florenum; Si verò res ſit vendita in diſtrictu Caſaliſmaioris, non poſſint accipere, vltra dictum florenũ, niſi ſolidum vnum, pro quolibet milliari, pro vt res vẽdita fuerit diſtans à terra Caſaliſmaioris. Et hoc ſub pœna cuilibet contrafacienti ſolidorum centum Imperialium, pro quolibet, & qualibet vice.



RVBRICA, DE SOLVTIONIBVS fiendis Notarijs banchi iuris Casalisf maioris.





TEM Statutum est, quòd Notarij bāchi iuris Domini Potestatis terræ Casalisma ioris per se, vel per submissam personam pro aliquibus scripturis, uel actis petere, aut recipere nō possint ultra taxationes inferius annotatas, sub pœna dupli totius quòd receperint, pro quolibet, & qualibet uice, qua fuerit contrafactum, ad quas pœnas, & quamlibet earum quilibet contrafaciens compelli possit, & debeat ex officio publico per quemlibet Potestatem terræ prędictæ, sine aliqua condemnatione, & sine aliquo processu, uel scriptura. Et quilibet possit denunciare, uel accusare, & ei credatur cū sacramento, & uno teste fide digno iurato, cuius pœnę medietas perueniat in accusatorem, denūciantem, notificātē, aut conquerentem, & alia medietas in commune Casalisf. maioris. Et quòd Potestas prædictus prædicta teneatur exe cutioni mandare ad instantiam cuiuslibet conquerentis, & etiam ex officio, sub pœna solidorum cētum Imperialium de suo salario. Et quòd nihilominus compellantur ad restitutionem conquerenti illius pluris, quod receperint.

¶Primo namq; notarij prædicti officij Domini Potesta tis petere, & recipere non debeant de aliquo libello, cum relatione, monitione, & citatione subsequentibus, seu petitione, in qua petitione, seu libello petatur quantitas decem

librarum

librarum Imperialium,& abinde infra,aut res tanti ualoris, uel minoris,vltra solidos duos Imperiales, siuè agatur perso nali, siuè reali actione, seu qualitercũque. Si vero quantitas excesserit decem libras, vel valorẽ vsque ad libras quinquaginta,& abinde infra, solidos tres Imperiales. Si verò à quin quaginta libris supra, in quantacunque quantitate fuerit, solidos quatuor Imperiales. Si verò in libello, seu petitione petantur plures petię terrarum, vel res, vltra primam petiam terræ, vel rem, possint accipere vltra solutiones prędictas, pro vnaquaq; re, seu petia terræ in ipsa petitione petita, denarios tres Imperiales. Si verò vigore plurium instrumentorum aliquid petatur, pro vno quoque instrumento vltra primum denarios sex. Si verò contra plures personas petatur, vel agatur, pro vnaquaque persona, contra quam agatur, vltra primã, Imperiales tres vltra dictas solutiones.

¶De contestatione litis super libellis, seu petitionibus, si fuerit vna persona tantum, solidos duos Imperiales, si verò plures vltra primam, denarios sex pro qualibet.

¶De quolibet sacramento calumniæ facto, & scripto in actis, solidum vnum à qualibet parte.

¶De quolibet capitulo, tam positionum, quàm intẽtionum, denarios quatuor, & vltra de qualibet petia terræ, vel re descripta in ipso capitulo, denarios duos.

¶De responsione cuiuslibet capituli positionum, denarios tres.

¶De præcepto generali quod fit ad accipiendum copiã intentionum cum relatione, solidum vnum, & denarios sex.

¶De productione instrumentorum, & iurium, de quolibet instrumẽto, priuilegio, littera, libro, vel alio documẽto, si fuerit vnum solum instrumẽtum, solidos duos Imperiales. Et si plura, denarios sex pro quolibet, vltra primum.

¶De præcepto facto parti aduersæ quòd veniat ad opponendum,

nendum, ſoldum vnum imperialium.

¶ De qualibet oppoſitione, vel contradictione facta, & ſcripta in actis, ſoldum vnum imperia.

¶ De ſacramento cuiuſlibet teſtis, denarios ſex imperia.

¶ De quolibet articulo eleuato, ſoldos duos imper.

¶ De qualibet contradictione facta articulo, ſoldum vnum imperialium.

¶ De qualibet commiſsione facta alicui Iudici, ſoldum vnum imper. pro qualibet parte.

¶ De electione notariorum ad recipiendum teſtes, ſoldum vnum imper. pro qualibet parte.

¶ De qualibet ſententia diffinitiua, vel interlocutoria, ſi fuerit lata de conſilio alicuius commiſſarij, notarij officij habeant medietatem eius totius, quòd Conſultor habuerit. Si verò fuerint plures conſultores, habeant medietatem totius eius quòd habuerit vnus ex dictis conſultoribus.

¶ Si vero ſententia lata fuerit per Dominum Poteſtatem ſine conſilio alicuius ſapientis, ſi fuerit interlocutoria, ſi quæſtio principalis fuerit de quãtitate, ſeu valore librarum decem imper. vel infra, notarij de ipſa ſententia interlocutoria recipiant, pro publicatione, & ſcribendo in actis, ſoldos duos imper. Si vero a decem libris, vſq; ad vigintiquinque, ſoldos ſex imper. Si vero a vigintiquinq; libris ſupra, vſq; ad quinquaginta, ſoldos octo imper. Si vero a quinquaginta libris ſupra, vſq; ad centum, ſoldos duodecim imper. & abinde ſupra, ſoldos ſedecim imper.

¶ De ſententijs vero diffinitiuis latis per Dominum Poteſtatem ſine conſilio, Notarij pro publicatione, & ſcriptura in actis, habeant duplum eius, quod ſupra taxatum eſt de ſententijs interlocutorijs.

¶ De commiſsione facta alicui notario ad defferendum alicui perſonæ ſacramentum pro ſcribendo ipſam commiſsionem in actis, denarios duodecim, de Iuramento te-

ſtis ſic iurantis in terra, vel burgis Caſaliſmaioris, ſoldum vnum, & denarios ſex pro labore itineris notarij.

¶ De ſacramento veritatis præſtito per partem aliquam, quæ iurauerit fouere iuſtam cauſam, vel aliud, ſoldum vnum & denarios ſex.

¶ De quolibet termino dato per Dominum Poteſtatem & ſcripto in actis, ſoldum vnum.

¶ De qualibet prorogatione, totidem.

¶ De qualibet ſecuritate præſtita in actis quæſtionum ciuilium, ſoldos duos imper.

¶ De procuratore conſtituto in actis, ſoldos duos imperialium.

¶ De receptione cuiuſlibet teſtis recepti ſine capitulis, & interrogationibus, per notarios officij ſoldos tres imper.

¶ De qualibet ſequeſtratione, ſeu interdicto ſimplici, ſoldos duos imper. Et de quolibet ſequeſtro, ſeu interdicto, in quo fuerint deſcripta aliqua bona, ſeu petiæ terrarum, de quolibet capitulo, vltra ſolutionem prædictam de qualibet petia terræ, & re denarios ſex.

¶ De qualibet licentia data capiendi, & detinendi, ſi quantitatis fuerit, librarum quinq;, vel infra denarios duodecim, & abinde ſupra vſq; ad decem, ſoldum vnum, & denarios ſex. Et abinde ſupra vſq; ad libras quinquaginta, ſoldos duos imper. Et abinde ſupra quantacunq; fuerit quantitas, ſoldos tres imper.

¶ De qualibet exemplatura cuiuſlibet proceſſus, pro qualibet carta papiri, tam ab vna parte, quam ab alia ſcripta competenter, videlicet in qualibet parte, ſeu facie ſint lineæ viginti, & qualibet linea litteræ xl. omiſſis titulis, & abreuiaturis, ſoldum vnum imper.

¶ Item de exemplando, & reducendo proceſſus aliquos, ſeu acta aliqua in formam publicam more Caſaliſmaioris, accipere poſſint duplum eius, quod haberet pro exemplando vt

Z do vt

do vt ſupra in papiro Saluo quòd requirentes emant cartas, Et ſaluo quod prædicta non habeant locum in ſententijs, de quibus habere debent tam de ſententia, quã de proceſſu poſito in publicam formam tantum quantum habuerint de publicatione, & poſitione in actis de ipſa ſententia, vt moris eſt.

¶ Item de petitionibus, quæ fient pro excuſſionibus faciendis, ſimiles ſolutiones habeant notarij vtſupradictum eſt de alijs petitionibus, & libellis, & de alijs proceſsibus ſequentibus idem fiat vtſupra.

¶ De quolibet præcepto facto alicui ad allegandum &c. ſoldum vnum.

¶ De qualibet tædiali tenuta, ſoldum vnum. Et vltra de qualibet petia terræ ſcripta in ipſa tenuta, denarios tres, & de qualibet re mobili, denarios duos.

¶ De quolibet autem præcepto de quo ſupra, vel infra non ſit facta mentio denarios ſex.

¶ De quacunq; comparitione, vel contradictione ſoldum vnum.

¶ De licentia generali, quæ fit conſulibus vicinarum, aut locorum Caſaliſmaioris, ſoldos duos imper.

¶ De licentia generali data ad petitionem datiariorum pignorandi, & detinendi ſoluere debentes eiſdem, ſoldos ſex imperialium.

¶ De præceptis, quæ fient, & ſcribentur in actis officij, & proceſsibus extraordinarijs de quolibet præcepto facto, denarios ſex.

¶ De qualibet Citatione, & præcepto facto alicui, vt ſit de ore ad os cum aliqua perſona, denarios ſex.


¶ Et pro licentijs datis pignorandi, & detinendi pro ſupraſcriptis duobus proximis pręceptis, denarios duodecim, ſi fuerit vna perſona, & abinde ſupra vltra dictam ſolutionem, denarios ſex pro qualibet perſona.

¶ De condemnationibus voluntariis, quæ fient ad officiũ banchi Domini Potestatis, si cõdemnatio fuerit a quinque libris infra, soldum vnum & abinde supra vsq; ad decem, soldum vnum, & denarios sex, & abinde supra vsq; ad libras quinquaginta, soldos quatuor, & abinde supra, soldos sex imper. Et idem intelligatur de condemnationibus, quæ fiunt per contumatiam.

¶ De Canzelatura condemnationum, & scripturarum, si fuerit a quinq; libris infra, soldum vnum, & denarios sex imper. Et abinde supra vsq; ad decem, soldos duos imperiales. Et abinde supra vsq; ad libras vigintiquinque, soldos quatuor imper. Et a vigintiquinq; libris supra, soldos sex imperialium.

¶ De exceptione, & cõtradictione, quæ sit contra Instrũmenta, Iura, & testes partis, soldos duos.

¶ Et de oblationibus, & depositionibus cum electione depositarij, quæ fit in quæstionibus, soldos quatuor imperialium.



RVBRICA DE SALARIIS conſtitutis Correrijs.





TEM cum infinitæ pecuniarum extorſiões fiant per Correrios officialium, & Communis Caſaliſmaioris; Idcirco ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd ſi correrius iuerit ad citandum, vel bannum denunciandum, vel alio modo requirendum, vel ad præceptum faciendum ad petitionem alicuius ſingularis perſonæ, collegij, vel vniuerſitatis, ſi iuerit in terra, vel burgis Caſaliſmaioris, accipere debeant pro citatione, requiſitione, banno, denuntia, uel præcepto, denarios ſex. Si autem ire debuerint extra terram, uel burgos Caſaliſmaioris ad citandum, uel requirendum, bannum denunciandum, uel præceptum faciendum, ſi fuerit infra milliare, uel milliare unum habeant, & habere debeant Correrij denarios duodecim. Et ſi ultra milliare unum, infra duo milliaria, uel per duo milliaria ſoldos duos imper. Et ſi ultra duo milliaria, infra tria milliaria, uel per tria milliaria, ſoldos duos, & denarios ſex imper. Et si ultra tria milliaria, infra quatuor milliaria, uel per quatuor milliaria, ſoldos tres imper. Et hoc si fuerit unum præceptum tantum. Et si fuerint plura præcepta poſſint accipere de quolibet præcepto, uel citatione denarios tres, & non ultra. Et eadem uendicent sibi locum in correrijs, qui ibunt, uel pro aliquo offi-

ciale, vel pro aliquibus datiarijs ad citandum, & requirendum, vel denunciandum bannum. Si vero correrius aliquis iuerit ad faciendum aliquam exactionem, vel executionem, vel pignorationem, vel hominis captionem, vel possessionem, vel tenutam dandum, si iuerit solus sine soldatis, & sine Comilitone, si in terra, vel burgis Casalismaioris, accipiant de quodlibet pignore eleuato, si fuerit vnum pignus tantum, denarios duodecim, si vero fuerint plura pignora, denarios sex pro quolibet pignore. Et possessione, vel tenuta danda in terra, vel burgis Casalismaioris, soldum vnum imper. Si extra terram, vel burgos Casalismaioris, de quolibet pignore eleuato, vel possessione vel tenuta danda, si fuerit infra vnum milliare, vel per vnum milliare, denarios duodecim. Et si vltra vnum milliare, infra duo milliaria, vel per duo milliaria, infra tria milliaria, vel per tria milliaria, duos soldos, & denarios sex imper. Et si vltra tria milliaria infra quatuor miliaria, vel per quatuor milliaria, accipere possint soldos tres imperia. si fuerit vnum pignus tantum. Si vero fuerint plura pignora, habeant denarios sex pro quolibet pignore vltra prædictam taxationem. Si vero correrius sine comilitione, vel sine soldatis ceperit hominem, tantundem habeat solutionis vtsupra terminatum est. Si vero Correrius iuerit cum soldatis ad faciendum aliquam exactionem, vel pignorationem, vel hominis captionem, si fuerit in terra, vel burgis Casalismaioris, Correrius, & soldati accipere possint soldos duos imper. de quolibet pignore, si fuerit vnum pignus tantum. Si vero fuerint, plura pignora, denarios duodecim de quolibet pignore, quorum medietas sit correrij, alia medietas sit soldati. Et hoc si fuerit ad petitionem alicuius singularis personæ collegij, vel vniuersitatis. Et si detinuerint aliquem in terra, vel burgis Casalismaioris accipere possint soldos duos imper. & non vltra, medietas quorum sit correrij, & alia medietas

dietas

dietas sit soldati. Si vero extra terram, vel burgos Casalis. maioris cum soldatis pignus eleuauerint, vel hominem detinuerint, tunc duplicentur solutiones prædictæ pro computatione itineris prædicti. Si vero ad petitionem alicuius officialis aliquem detinuerint, seu ad carceres duxerint, tunc nihil habere possint, sub pœna soldorum decem imper. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, quam pœnam Potestas Casalismaioris, vel eius locumtenens, & quilibet officialis, pro quo talis fuerit detentus, exigere teneatur sine aliqua condemnatione; Et nihilominus teneantur contrafacientes ad restitutionem eius, quòd accepissent, de quibus omnibus credatur sacramento deteti. Et si miles Domini Potestatis, vel aliquis alius officialis terræ Casalis. maioris iuerit per terram, vel burgos Casalismaioris, vel eius districtum, & secum duxerit aliquos Correrios, nihil accipere possint pro eorum officio exequendo, nec pro aliquibus expensis cibi, & potus, nec qualitercunq;. Et quòd nullus Correrius, aut miles, vel barouarius possint aliquem pignorare, nec detinere, nisi prius habita licẽtia a Domino Potestate Casalismaioris, vel eius locumtenente, quæ scribatur in actis prius, & ante omnia. Et si non fuerit scripta in actis, impune possit eis resisti. Et pignoratio, & detentio personæ aliter factæ non valeant, nec teneant de iure. Et quòd Comilito Domini Potestatis, nec barouarius sine correrio non possint aliquam executionem facere pro aliquibus debitis publicis, vel priuatis. Et si aliter fecerint, possit eis impune resisti. Et quòd correrius, qui ad petitionem alicuius pignorauerit aliquem, teneatur designare pignus eleuatum illi, ad cuius petionem pignorauerit infra tertiam diem, si talis persona possideat immobilia in terra, vel districtu Casalismaioris, vel aliter sit idonea de facultatibus, & facultate conueniendi. Et si non possideat, vel sit idonea vt supra, teneatur dictus correrius dictam designationem facere, si ta-

lis per-

lis persona,ad cuius instantiam pignoratio facta sit,satisdederit de pignora restituendo,vel valorem eorum.Et tunc ille,qui pignorari fecerit, si pignus fuerit sibi designatum, teneatur scribi facere penes licentiam pignus eleuatum cum qualitate, & signis pignoris, ad hoc vt res pignoratæ non amittantur,nec celari possint.Quod si non fecerit, & res pignoratæ non inueniantur, Ille, cui pignus designatum fuerit, teneatur ad restitutionem æstimationis fiẽdæ sacramento pignorati. Et si dictam satisdationem non fecerit infra tempora suprascripta,dictus correrius teneatur dicta pignora designare, & deponere vni ex vicinis habilibus viciniæ, vel loci, in qua, seu quo dictum pignus fuerit pignoratum. Et si correrius non designauerit pignus vtsupra, nulla fiat ei solutio,& teneatur ad restitutionem pignoris,vel æstimationis, de qua æstimatione Credatur sacramento pignorati,& nihilominus vltra in soldis quadraginta imperialib. Et quòd aliqua persona,commune, collegium, & vniuersitas non possit pignorari,vel detineri sine correrio per aliquem officialem,vel barouarium,& si contrafactum fuerit, possit eis impune resisti. Et pignoratio, & huiuismodi captio ipso iure nullius sit valoris. Et quòd officiales non possint facere aliquod officium,vel captionem, vel exactionem sine correrio,quòd si secus fecerint ipso iure per ipsos facta nullius momenti sint. Et teneatur Potestas Casalismaioris prædicta obseruare, & obseruari facere sub pœna librarum decem imper.Et quòd quilibet correrius,vel alia persona,qui, vel quæ cęperit plus vltra formam superius limitatam puniatur ipso facto per præfactum Dominum Potestatem in soldis quadraginta imper. pro quolibet,& qualibet vice, & priuetur officio suo per annũ. Et cogatur ad restitutionem eius,quod plus acceperit. Et de prędictis credatur sacramento cuiuslibet se conquerentis. Et quilibet correrius, & quilibet barouarius teneatur ad petitionem cuiuslibet petentis

ire ad faciendum omnia, & singula in suprascripto statuto contenta pro salario, vtsupra contento, & si recusauerit, puniatur pœna prædicta, & de accusatione, & de prędictis credatur sacramento cuiuslibet conquerentis, pœna librarum decem imper. cuilibet Potestati prædicta non seruanti, & ea executioni non mandanti, quotiens fuerit requisitus infra tertiam diem. Et si contentio fuerit inter correrium, & personam pignoratam, vtrum ipse correrius fecerit plures pignorationes, vel vnam, credatur sacramento cuiuslibet pignorati de quantitate pignore. Et quòd Correrij, qui vadunt per districtum Casalismaioris pro negocijs dicti Communis Casalismaioris, nihil habere possint ab aliquo communi, collegio, vel singulari persona. Et si contrafecerint prædicti puniantur, & condemnentur vtsupra dictum est. Et credatur sacramento conquerentis vtsupra dictum est. Et quod potestates in prædictis negligentes, vtsupra dictum est, puniantur.

¶ Et si contigerit Comilitonem Domini Potestatis ad Instantiam alicuius singularis personæ facere aliquam executionem, pignorationem, detentionem, vel hominis captionem, habeat, & habere debeat duplum eius, quod suprà taxatum est correrio. Et si ad instantiam alicuius communitatis, vel vniuersitatis tantundem habeat. Et vltra prædictam taxationem nihil percipere possit. Et si contrafecerit Dominus Potestas ad requisitionem cuiuslibet se conquerentis teneatur, & debeat cogere ipsum Comilitonem ad restitutionem eius pluris, quod accepisset, de quo stetur sacramento se conquerentis. Et incurrat dictus Commilito in pœnam quadrupli eius pluris quod accepisset, applicandam pro dimidia ei, vel illis, cui, vel quibus illud plus accepisset. Et pro reliqua dimidia communi Casalisinaioris. Et possit dictus Commilito sindicari de prædictis.

RVBRICA DE MEZADRIS, ET quòd vicibus terræ debeant arari.





OMNES, qui laborant de terris Ciuium terræ Casalismaioris ad mediũ, tertium vel quartũ, vel aliter teneãtur, & debeant eas arare, videlicet ſeminandas de frumẽto ad minus per ſeptẽ vices cõgruis temporib. Et ſeminandas de ſpleta quinque vicibus, ita quòd vltima aratura ſit facta vſq; ad medium menſem Septembris, antequam eas ſeminant. Et teneantur foſſata terrarum, quæ ſeminari debet, sgabiare, antequã ſeminent eas, ſub pœna denariorum triũ pro qualibet perticha foſſatorum non ſgabiatorum. Quod ſi non fuerit obſeruatum, & Dominus voluerit ipſos accuſare, ſoluat accuſatus pro banno, & pęna ſoldos tres imper. pro qualibet perticha terræ applicandos Domino prædicto, & emendet damnum, & de prædictis ſtetur ſacramento domini.

¶ Item, ipſis ſeminatis, teneantur, & debeant ipſas terras zapollare, & aſolchare temporibus congruis, & ripalia terrarum prædictarum vſq; in ripas foſſatorum zapolare, ſub pęna, pro qualibet vice, qua non arauerit, vel zapolauerit, vel aſſolcauerit, ſoldorum quatuor pro perticha applicandorum vtſupra, de quibus, & quolibet ipſorum ſtetur ſacramento vtſupra.

Rubrica

Rubrica quot vicibus vineæ, & minuta debeant zapari.

OMnes, qui laborabunt, & laborant de vineis seu pergulis, teneantur zapare per quatuor vices temporibus congruis, primam videlicet de mense Martij, aut Aprillis, secundam de mense Maij, tertiam de mense Augusti. Quartam de mense Octobris, vel Nouembris. Et vlterius teneantur ipsas vineas, seu pergulos recalzare, & descalzare temporibus congruis. Et si prædicta, & quodlibet eorum non obseruauerint, soluant, quilibet contrafacientes pro qualibet perticha vineæ soldos sex imper. domino vineæ applicandos, & totidem pro singulis gambis decem pergulorum salua ratione interesse. Et non habeant nisi tertiã partem eius, quod habere debebant. Et similiter locum habeat in minutis, & leguminibus, qui laborantes zapare debeant bis temporibus competentibus sub dicta pœna aplicanda vt supra.

Rubrica qualiter Mezadri non debeant carizare cum bobus Domini nec communibus nec laborare in alicuius terris absq; licentia domini.

NVllus mezadrus habens boues vel vachas communes cum domino. vel tantum boues & vachas Domini debeat carizare vel victurare cum ipsis nec in terra alicuius laborare nisi in terra & mezadria Domini cuius fuerint boues in totum vel in partem absq; licentia expressa & voluntate Domini. Et si quis contrafecerit Dominus possit petere consequi, & habere redditum quem habuerit de terra aliena vel existimationem precij vecture vel carezature. Et nihilominus soluat pro banno pro qualibet vice soldos sex imper. applicandos Domino prædicto, & hoc vt terræ melius laborentur. Et de prædictis stetur sacramento domini. Et

ni. Et quilibet etiam possit accusare, & habeat medietatem dictæ pœne.

Rubrica quam partem feni debeant mezadri dominis, se discedendo de mezadriis suorum dominorum, dimittere.

SI mezadrus habuerit boues communes cum domino, suos vel domini sui, vel proprios ipsius mezadri & contingat ipsum mezadrum discedere de mezadria sui domini teneatur & debeat dictus mezadrus permittere dare & consignare, & domino suo medietatem totius feni quòd ipse mezadrus habuerit ipso anno, vel verisimiliter habere potuerit a Domino, vel de terris domini, seu de pratis in auxilium vel acceptis ad affictum per Dominum de denarijs domini sui seu per mezadros de denarijs ipsius domini, vel eius quod verisimiliter habere potuit de denarijs sibi datis per dominum in, & pro auxilio feni, seu laborandi possessiones vel terras, vt ipse dominus possit melius locare terrã suam ad eam laborandum, & facere laborari.

Rubrica qualiter mezadri, & laboratores terrarum debeant battere totam blauam, & totam paleam dimittere in curia dominorum.

SI fuerit mezadrus quis vel alius qui laborat, aliter de possessionibus alicuius, & ille mezadrus vel alius reliquerit mezadriam ante tempus messium, ipse mezadrus, & quilibet alius, qui laborauerit de possione alicuius, compellatur totam blauam quam habuerit super domini possessione mettere colligere & batere in curia domini suis proprijs expensis & illic totam paleam dimittere. Et hoc habeat locum in fauorem laycorum tantum, & quandocunque & quolibet tempore reliquerit mezadriam. Ita quòd prorsus de dicta

palea

palea,seu paleis nihil habeant ipsi mezadri vel,laboratores quæ fuerunt,quando recedent,& mezadriam relinquerint. Et si remanserint super mezadria prædicta, dicti mezadri non possint vendere dictam paleam, nec etiam operare,nisi in vtilitatem prædictæ mezadrie. Et mezadrus non intelligatur habere partẽ in dicta pallea, & hoc sub pena pro quolibet plaustro paleę soldorum vinti imper. applicandorum domino,aliter vendente,& operante. Et de prædictis omnibus stetur sacramento domini. Et teneatur quilibet mezadrus, & laborator ad petitionem domini terrarum diuidere in paleis segetes,& blada quecunq; habuerit super laborerio domini,& conducere ipsas sic diuisas vbicunq; voluerit dominus terrarum in villa,in qua nata fuerint dicta blada,& ibi battere dictam bladam,& partem domini conducere ad domum domini titurata in suis expensis in terra Casalisimaioris. Et partem ipsius mezadri battere super curtili ipsius domini, & dimittere totas paleas ibidem.

Rubrica qualiter mezadri teneantur redditus domini ducere Dominis ad terram Casalismaioris, & quo tempore relinquere possint mezadriam.

QVilibet laborator de terris habitantium in terra,vel districtu Casalismaioris ad medium, tertium,vel quartum, cogatur per Dominum Potestatem Casalismaioris ducere partem domini blaue, & omnium reddituum ad domum ipsius Domini in Casalimaiore ad requisitionem domini blaua battuta. Et hoc etiam locum habeat in fictis, saluis pactis,& conuentionibus factis circa pręsens capitulum cuiuslibet. Et nullus mezadrus vel laborator terrarum possit repudiare mezadriam,vel alias terras quas laborat ab alio pro anno futuro,nisi de mense Maij,nec de mezadrijs discedere nisi de mense Nouembris. Et aliter renuntiatio facta

nno valeat. Et cogatur ad standum nisi repudiauerit vt supra. Et quilibet Domnius possit mezadros suos excumiare de mensibus Maij, Iunij, Iulij, & Augusti.

Rubrica de ordinibus super batitoribus blaue.

OMnes, & singuli in area blauam alicuius in districtu Casalismaioris teneãtur bona fide battere dictam blauam, quam battere debuerint, & segregare, & excutere granum à paleis, & lucho, & custodiri ipsam, & non permittere furtum ex ea fieri per se, vel per alium, & manifestare furtum domino, si fuerit factum, quàm citius poterit, sub pœna perdendi totam araturam suam. Et vlterius tales aratores comnittentes contra prædicta teneantur ad damna, & interesse, de quibus credatur sacramento domini.

Rubrica quam partem batiture blaue debeant habere battitores ipsius blaue.

ARatores, seu batitores blaue debeant leuare totam blauam, quam batiuerint in area ad culmum, & possint habere tantum vndecimum sestarium pro suo, & de hoc teneatur per sacramentum, & si aliquis contrafecerit, perdat araturam totam illius anni, & quilibet possit accusare, & habeat tertiam partem araturæ, & duas partes dominus. Et quòd dicti mezadri tempore messionis bladarum, si dominus, vel domini mezadrie, vel terrarum, quas tales mezadri laborauerint, vt præfertur, dare obtulerint eidem mezadro aratorem pro parte ipsorum dominorum, ipsum aratorem acceptare teneantur, & debeant. Et si dominus, vel domini noluerint dare aliquem aratorem ipsis mezadris, tunc ipsi mezadri teneantur, & debeant mettere, & battere suis omnibus expensis, excepta aratura, & dare medietatem domino, vel

no, vel dominis. Et dicti mezadri, & laboratores teneantur, & debeant facere expensas dicto aratori, quē dominus eis dare voluerit, & dederit. Et portionem araturę cōtingētem dare de communi. Aliter si aratores acceptare nolent, & prædicta adimplere, teneantur tales mezadri ad damnum, & interesse de quo ipsi domini mezadrie, & terrarum dixerint fore damnificatos, de quo damno credatur sacramento dominorum. Et quòd domini non teneantur ad auantagium vllum dandum aratoribus.

Rubrica qualiter, qui restipulauerit terram alienam, perdat semne, & seminatam.

SI quis restipulauerit terram alienam Inscio, vel inuito eo cuius sit dicta terra, ammittat semē, & seminatam quod & quam in ea posuit, & fecit, & sit eius, cuius terra fuerit. Et ille, vel illi, qui arauerint ibi, si sciuerit quòd dicta terra non sit eius, qui eum, vel eos duxerit ad arandum in ipsa, soluat pro banno, quilibet eorum pro qualibet bubulcha, soldos decem imper. ei, cuius fuerit dicta terra, vel ad quem pertinuerit dicta terra. ¶ Et quòd nullus mezadrus, vel laborator possit inscio, vel inuito dicto domino secare, seu secari facere stipulam de aliqua terra, quam laboret a domino, sub pœna soldorum viginti imper. domino applicandorū, pro qualibet bubulcha. Et nihilominus teneatur ad omnem damnum, & interesse ipsi domino. Et de prædictis stetur sacramento domini.

Rubrica quod locatores, & domini terrarum, & possessionum præferantur cæteris creditoribus in fructibus natis in ipsis terris.

QVicunque locauerit terras, vel possessiones suas proprias, vel conductas alicui, vel aliquibus ad laboran-


dum ad medium, seu tertium, vel quartum, vel etiam ad affictũ, si ipse locator, vel dominus debuerit recipere ab ipso conductore, vel conductoribus aliquam pecuniæ quantitatem, seu bladi, vel feni quam dicat se mutuassesis ip conductoribus pro auxilio laborandi ipsas terras, vel possessiones, vel aliter habere debere, talis locator præferatur, & præferri debeat omnibus creditoribus ipsius conductoris, vel conductorum obligatorum in omnibus fructibus natis in terris, & possessionibus ipsius domini, vel conductis etiã quantumcunq; a solo separatis, dummodo ipse locator corporaliter tactis scripturis uere se mutuasse, vel aliter habere debere ab ipso conductore, vel conductoribus illam quantitatem pecuniæ, seu res pro laborerio terrarum prædictarum, seu pro auxilio laborandi dictas terras, vel alia quacunq; de causa, & se debere recipere dictam pecuniam, seu res prædictas. Et ipsius iuramento stetur, & credatur omnino, nisi in contrarium probetur sibi satisfactum esse.

Rubrica de Laetamine non conducendo alibi extra terras dominorum.

ITem statutum est, quòd omnes mezadri, coloni, aut laboratores terrarum, teneantur, & debeant omnem quantitatem lætaminis, quæ fieri contingerit, super terris domini proprijs, vel conductis, tam pro bestijs domini, quam pro alienis conducere super terris domini, quas laborant ab eo, sub pęna soldorum decem imperialium, pro quolibet plaustro, applicandorum domino terrarum.

F I N I S.

COPIA LITTERARUM DUCALIUM praesentatarum in Consilio die vigesimo primo Augusti 1546. ut infra A tergo Nobilibus, & prudentibus viris, pratori, & Agentibus Communitatis Casalismaioris praesentibus, & futuris nostris dilectis.



DUX MEDIOLANI ETC.



DILETTI nostri con grande admiratione, & dispiacere habbiamo inteso quello contiene la Inclusa Supplicatione della maggior parte delli Agenti di quella nostra Communitate, della coruptella introduta di imponere le grauezze, che alle volte si metteno, non seruando, ne Statuti, ne ordini che siano in quella nostra Communità; Et però essendo intétione nostra che se viua in quella nostra terra con la debita regola, & ordine. Ve commandiamo sotto pena de cento ducati a ciascaduno contrafatà de applicarsi alla Camera nostra, ogni volta se contrafarà per alcuno, che da hora inanti non permetiate che se faccia cosa alcuna circa al gouerno di essa Communità cosi in ponere gli carichi, come circa ogni altra cosa, se non secondo la forma, & dispositione de gli ordini, li vigenti. Morbegni 6. Augusti 1546.

Signat. B. Calcus.




LLVSTRISSIMO & Eccellentiſſimo Signor. Vedendo vna gran parte delli noſtri fideliſſimi ſeruitori homini del Conſiglio, & veggiamento della terra noſtra di Caſalmaggiore che per non oſſeruarſi li ordini e Statuti di detta terra, le intrate di detta Communità vanno ogni giorno di mal in peggio, & dubitando per li diſordini che ſe fanno in ponere le grauezze alli poueri homini non ſeguiſca qualche ſcandalo, per obbuiare a tale inconueniente ſono conſtretti hauer ricorſo alla Illuſtriſsima S. V. la quale come fonte di Iuſtitia ſe perſuadino non voglia comparire che detta Communità ſia opreſſa, ma ſia gouernata ſecondo gli ordini ſui.

A la qual ſupplicatione domandano di gratia con ogni debita riuerentia, che quella ſi degni per ſua ſolita Iuſtitia, & per ſue lettere. Comandare al Podeſtà, & deputati conſiglieri di detta terra preſenti, & futuri, che da hora inante debbiano oſſeruare detti Statuti, ponendo, concludendo, & terminando tutte le propoſte, che ſe haueranno a trattare in detto conſeglio, ſiano per che coſa ſi voglia, a buſſoli, e a balotte ſotto quella pena parerà a V. Eccell. al detto Podeſtà, & conſiglieri, maſſime a chi foſſe inoſſeruante di detti Statuti, e ordini, la qual coſa ben che iuſtiſſima, receueranno detti ſupplicanti a gratia ſingulare dalla prefata V. Illuſtriſsima Signoria alla quale ſe recomandiamo.



PRIVILEGIVM NOTARIORVM.





RANCISCVS Secundus Sfortia, Vicecomes, Dux Mediolani, & Barij, Papiæ Princeps, Angleriæq; comes, ac Genuæ, Haltæq; Dominus. Nomine Communitatis, & hominum terræ nostræ Casalisma ioris Supplicationem accepimus in hæc verba videlicet. Illustrisimè, & Excellentissimè Princeps, Nomine fidelissimorum Excellentie V. Seruorum, & subditorum Communis, & hominum terræ Casalismaioris eidem exponitur, quemadmodum nonnulli adsunt Notarij Imperiales, seu Imperiali auctoritate creati: qui ab annis vigintiquinq;, vel circa, & antea conficiunt in terra ipsa, eiusq; territorio, & Iurisdictione tam testamenta, & vltimas voluntates, quam alia cuiusuis generis Infrascripta, & acta, Sententias, & Scripturas, tam in causis ciuilibus, quam criminalibus, quibus adhibita fuit, hodiæq; adhibetur in Iudicio, & extra Iudicium in terra ipsa, & alibi plenaria fides, & ad ipsos notarios habetur recursus, & consuetudo talis est, & obseruata fuit per plures annos vtsupra. Sed quia Illustrisime Princeps adest Decretum, seu Statutum quo dispo nitur, quòd aliquis notarius Cremonensis non possit conficere Instrumenta, nisi sit collegiatus, & matriculatus in dicta ciuitate, & ea confecta non valeant, nec teneant de Iure, licet dictum decretum, seu statutum non fuit, nec sit in viridi obseruantia in dicta terra Casalismaioris, nec credatur se extendere ad terram ipsam mere separatam a dicta Ciuitate Cremonæ; Tamen ad tollendas omnes dubitationes, & hesitationes, quæ in futurum oriri possent illa de causa, statuerunt ad præfatam D. V. confugere, & ita humiliter eidem

ſupplicant, vt attento maximè quòd dicti Notarij autorita te Imperiali vtſupra fulti, ac litterati, Idonei, & experti, atq; bonæ vocis, conditionis, & fame, & quod de alicuius reipublicæ, aut particularium perſonarum detrimento, ſed potius de bono, & commodo publico ipſius terræ, & communitatis agitur. Illa dignetur ad omnem hęſitationē tollendam, & etiam de ſui gratia ſpeciali, decernere, declarare, & diſpenſare dictos tabelliones, ſeu Notarios potuiſſe, & in futurum poſſe Inſtrumenta, & alia quæcūq; ad offitium publici, & authentici notarii pertinentia, tutè, liberè, validè, & Impunè, & præfata omnia per eos confecta, & quæ in futurum fient, valeant, perpetuumq; robur obtineat ac eis contraueniri non poſſit memorato ſuperius Statuto, ſeu Decreto, aut alijs aliquibus non obſtantibus. Quibus D.V. ex certa ſeu ſcientia, poteſtatiſq; plenitudine derrogare dignetur, vt creditur, vt ſperatur. Qua diligenter, & accuratè conſiderata, attentaq; fide legalitatis litteraturæ, idoneitatis, & experientiæ memoratorum notariorum per communitatem Supplicantem vtſupra facta, Alijsq; in Supplicatione per Communitatem ipſam, naratis maximè longa conſuetudine, qua ad conficienda Inſtrumenta nominati Notarij admittuntur, ipſius Communitatis, & hominum petitioni modo quo infra Annuendum eſſe duximus: Et ita, vbi recitatum in Supplicatione tatutum, ſeu decretum apud ipſam Caſaliſmaioris Cōmunitatem in viridi (vti naratur) non fit obſeruantia, Harum tenore ad hæſitationem omnem tollendam decernimus, & diſpenſamus dictos Notarios potuiſſe, futuriſq; temporibus poſſe, cuiuſuis generis Inſtrumenta, & alia quecunq; ad publici, & authētici Tabellionis officium ſpectantia conficere, & exercere tutè, liberè, validè, & Impunè, & quòd eis omnibus, & ſingulis contraueniri nequeat Superius expreſſo Statuto, ſeu decreto non atteſtato: cui in hoc duntaxat caſu, ex certa noſtri Scientia, Poteſtatiſq; plenitudine derrogamus. In Quorum Te-

ſtimo-

ſtimonium præſentes noſtras fieri, & regiſtrari Iuſsimus, noſtrique Sigilli impreſſione muniri. Dat. Mediolani die xx. Aprilis M. D. XXIII. Signat. Leonardus,& Sigillat. conſueto Sigillo in cera Alba A tergo. Laue.

Ad quo [illegible] emanavit decretum — Ex.mi tenoris ut in

[illegible] in [illegible] Rex et [illegible]

Dilecte nr. Consideratis exposito in annexis [illegible] Regationum istius [illegible] petit [illegible] conseq.
[illegible] [illegible] ut infra. Itaq. nobis mandamus, ut una cum [illegible] ex peritioribus
[illegible] memoratos modernos notarios examinetis, et ubi eos imperitos et non idoneos
reperiatis, [illegible] prohibeatis, ne pro [illegible] qualiacumque instrumenta [illegible] conficere
audeant, sub poena [illegible] arbitraria. Mediolani [illegible] septembris [illegible] MDCXXXI.
Subscripta [illegible] [illegible] [illegible] ad m. [illegible]

INVICTISSIME CAESAR.



XCELLENTISSIMVS Mediolani Senatus Volens Prouidere querellis subditorum fecit nonnullos ordines, quos exequi Iussit M.V. inter cętera, ordines cōtinent, quòd si fiant exequtiones in aliqua ciuitate, vel suburbijs pro Leui exequtione habeant exequtores soldos sex pro quolibet, & totidem pro missione, seu associatione in possessione, si vero extra, habeant duplum, & soldum vnum pro singulis mille passibus, & pro effectuali exqutione si intra ciuitatē, & suburbia habeant soldum vnum pro libra, vbi summa non excedat libras vigintiquinq;, abinde supra vsq; ad libras centum denarios nouem pro libra, & ab ea summa supra denarios tres, si autem fiant extra, vltra prædicta soldū vnum pro singulis mille passibus pro quolibet famulo, & pro mansione in possessione, seu pro asistentia ad coligendum fructus, seu pro descriptione bonorum, & fructuum habeant soldos decē, & octo pro singulo die, & pro itinere soldum vnum pro quibuslibet mille passibus, statuta vero M.V. fidissimorum Seruorum Communitatis, & hominum Casalis maioris disponunt, quòd corerii sui habeāt denarios duodecim pro citando aliquem in terra, vel suburbiis Casalis maioris, si vero extra per duo miliaria soldos duos, per tria milliaria soldos duos, & denarios sex, & per quatuor milliaria soldos tres Imperialium, si verò fuerit correrius ad faciēdum aliquam exequtionem, vel pignorationem, vel hominis captionem, vel ad dandum possessionem, vel tenutam pro qualibet summa si solus fuerit in terra, vel suburbiis accipiat de quolibet pignore eleuato, si fuerit vnū pignus tantum denarios duodecim, si fuerint plura sex pro quolibet, & si extra terram, vel suburbia, si fuerit vnum pignus tātum infra vnū milliare denarios duodecim, infra duo milliaria

soldos

soldos duos, & denarios sex, & infra quattuor milliaria soldos tres, si verò fuerint plura pignora habeant denarios sex pro pignore vltra prædictam taxationem, & tantúdem habeat si hominem ceperit sine comilitone, vel soldatis, si verò cum soldatis fuerit ad faciédam exequtionem, vel pignorationem, vel hominis Captionem, si In terra, vel suburbiis habeant soldos duos pro solo pignore. Et si plura fuerint duodecim denarios pro quolibet, quorum Medietas sit correrij & alia soldati, & pro detentione soldos duos, si vero extra, tunc duplicem habeant solutioné, si vero ad petitionem alicuius officialis aliquem detinuerint, seu ad carceres duxerint nihil accipere possint, & si miles potestatis, vel alius officialis Iuerit per terram, vel burgos Calismaioris, vel eius districtum, & secum duxerint aliquos Correrios, nihil accipere possint pro eorum officio exequendo, nec pro aliquibus expensis cibi & potus, nec qualitercunq;, & quæ statuta exhibentur, ita quòd vidit M. V. quòd ordines prædicti alioquin salubres subditis afferrent damnum supplicantibus quòd non creditur fuisse Mentis M. V. & sui Excellentissimi Senatus. Disponunt item ipsi ordines, quòd custos carcerum non possit accipere à carceratis vltra soldos viginti quinq; Imperialium pro quolibet singulo die ac nocte, & in eo genere personarum, quæ grossiori modo viuere solét, non possit accipere vltra soldos quindecim. hoc etiam esset nouum, & dispendiosum in terra Casalismaioris. In qua terra obtinuit antiquissima consuetudo hactenus obseruata, quòd detenti habeant libertatem, & facultatem faciendi sibi expensas de suo, absq; eo quòd aliquid soluent pro expensis custodi, & propterea vt statuta prædicta, & consuetudo superius allegata seruentur, cum etiam hoc non possit trahi in exemplum ceteris, nam Cómunitas soluit salarium pro pretore ad rationem librarum triginta duorum pro mense. Item cuilibet currerio dat soldos triginta duos pro Mense, quòd alie Communitates forsitan non faciunt, ad M. V. re-

currunt

currunt communitas, & homines prædicti, qui multo plus grauantur pro Mercede exequtionum personalium, vt videri potest ex collatione ordinum, & statutorum, Supplicando dignetur ordinare, quòd Memoratis ordinibus non attentis in terra Casalismaioris, & eius districtu seruentur Statuta sua, & dicta Consuetudo, prout speratur.

CAROLVS QVINTVS ROMANORVM IMPERATOR, ETC.


DILLECTE noster, Lecta in Senatu nostro allegata supplicatione agentium pro Communitate, & hominibus Casalismaioris, considratis, vobis dicimus quòd mentis præfati Senatus non fuit augere Impésas exequtorum in illis partibus, in quibus Minores sunt quam in ordinibus. Caueatur ideo vbi statutis, & ordinibus istius oppidi ita decidatur, prout in ipsa supplicatione, & in viri obseruantia sint, volumus vt eo casu memorata statuta, & ordines obseruari faciatis. Dat. Mediolani die octauo Nouẽbris 1553. Signat. G. Rocha à Tergo sapienti Iurisconsulto Vicario Casalismaioris nostro Dilecto.



PRIVILEGIVM CIVILITATIS MEDIOLANENSIS *Decurionibus Casalismaioris concessa.*

PHILIPPVS DEI GRATIA HISPANIARVM vtriusq; Siciliæ &c. REX ET MEDIOLANI DVX &c.

577.



VM proximo superiore anno contagiosa in vrbem hanc lues irrepsisset, eoq; casu ita pertere facti omnes essent, vt nobiles publicis ædictis in vrbe vix retineri possent, mercatores autem, & opifices pleriq; omnes clausis tabernis, & officinis institutas artes intermitterent, eo redacta res est, vt necessario timeretur, ne plebs, & qui diurnis laboribus victum in dies quærere consueuerant, quorum numerus ad quinquaginta millia circiter erat, vel fame perirent, vel tumultu, & seditione omnia cumplerent, itaq; imminenti malo huic obuiam itura ciuitas hos omnes ære suo alendos suscepit, quãuis à pecunia non ad modum parata esset. quod cum intellexissent oppidani Casalismaioris, quamquam eis cum ciuitate hac non leui de re lis esset, non paruam viui quantitatem, & caponum magnum numerum, in pauperũ, & ægrotantium alimenta dono miserunt, exemploque suo alios per multos ad opem laborantibus ferendã allexerunt. Quo quidem officij genere oppidani illi ciuitatem hanc ita sibi deuinxerunt, vt intelligens ipsa quantum illis debeat, verum nullam aliam eorum remunerãdorum facultatem impræsentia sibi esse videns, ommittere tamen noluerit, quin aliquam saltem grati animi significationem illis daret. Itaq; suppliciter a nobis petijt ciuitas, vt eius oppidi Decuriones omnes, tam præsentes, quam futuros ciuitate hac nostra donaremus, id quod nos optimam in partem accipientes, & gratũ ciuitatis Mediolanensis in benemeritos homines animum

mum laudantes, morem illi gerendum duximus; Pro inde præſentium tenore ſapientes Iuriſcõſultos Dominos Hieronymum Clocium, Ioſephum Auguſtam, Claudium Putheum, & Io. Hieronymum de laude, ac Aurelium Putheũ, Bartolomeum de Nigris, Hortenſium Riſium, Criſtoforum Clocium, Galeacium de Laude, Camillum Clocium, Eleonorum Toijam, Io. Antoniũ Araldum, Federicum Fabagroſſam, Andronicum Salandrum, Io. Thomam Vaijanam, Fabricium Riſium, Antonium Mariam Moreſcum, Martirem Moreſcum, Creſinum Pelizzonum, Tomam Storam, Alfonſum Nigriſolum, Mattheum Caballum, Bernardum Vincientiam, Alexandrum Camiſanum, Curium Aroldum, Io. Baptiſtam Arezagum, Eugenium Ferrarium, Io. Petrum Doariam, Bartolomeum Gualterium, Marchianum Camiſanum, Geneſium Camiſanum, Io. Baptiſtam Camiſanum, Ioſephum de Maltrauerſis, Signorinũ de Stefanis, Iorium Oriolum, Io. Auguſtinum Moreſcum, & Criſtoforum Araldum, Omnes oppidi prædicti Caſaliſmaioris in præſentia Decuriones, alios quæ quoſcunq;, qui in officio prędicto per tempora ſucedent ex certa ſcientia, ac omni meliori modo, iure, via, & forma, quib⁹ melius, ac validius poſſimus etiã de noſtræ poteſtatis plenitudine Ciues, & de Iuriſdictione Ciuitatis noſtrę Mediolani facimus, cõſtituimus, & creamus ab hodierna die in antea ita, & taliter vt ipſi omnes ſupra nominati, & alij qui ſuccedent vt ſupra, vniuſcuiuſq; eorum vita durante tantum, & non vltra contrahere, diſtrahere, acquirere, ſuccedere, emere, vendere, alienare, & cetera omnia facere, agere, & exercere poſſint tam in iudicio, quam extra quemadmodum veri incolæ, ciues, & originarij prædictæ ciuitatis poſſunt, & poſſe noſcantur; decernentes etiam ipſos fungi poſſe in ipſa noſtra ciuitate Mediolani, eius que ducatu, ac, & vbiq; terrarum illis omnibus iuribus, honoribus, priuilegijs, vocis, gratijs, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, & alijs quibuſ-

cunq;

cunq;,quibus alij ciues nostri veri,& legitimi incolæ,& naturales, ac originarũ eiusdem Ciuitatis Mediolani, & in ea factiones,& onera subeuntes,.& sustinentes vti, & gaudere posse noscunt, & perinde ac si ciues veri, naturales incolæ, & originarij dictæ nostræ ciuitatis Mediolani, & in ea factiones, & onera subeuntes, & sustinentes hactenus per retroactá tempora extitissent,& hæc omnia non obstantibus aliquibus,legibus,statutis,ordinibus,decretis, prouisionib⁹ cõsuetudinibus,aut alijs contrariũ disponentibus,vel aliam formam dantibus,quibus in hac duntaxat parte specialiter, & expresse ex certa scientia, & de nostræ potestatis plenitudine derogamus supplentes eadẽ potestate nostra omnem defectum cuiuslibet solemnitatis,tam intrinsecæ,quàm extrinsecæ,quæ dici posset in præmissis esse seruanda.Decernimus insuper,& volumus, quòd per præmissa nullatenus derogetur, neq; præiudicium afferatur alicui comuni, Collegio, vniuersitatus, aut singulari personæ, cum quibus, vel quo dicti, vtsupra nominati, & alij qui per tempora erunt vtsupra,onera sustinere teneantur pro bonis acquisitis,Nec per præsentes tollimus,quin prædicta onera pro bonis huiusmodi sustineant, & sustinere debeant vti, & quemadmodum facere debebant ante præsentem concessionem, & deberet si præsens concessio facta non esset, Mandamus igitur prætori nostro,Mediolani, Vicario, & xij. iuris prouisionum, questoribus reddituum nostrorum, & alijs officialibus nostris præsentibus, & futuris,vt hanc nostram cõcessionem, & omnia in ea contenta in posterum perpetuo valitura inuiolatè seruent, & seruari faciant, in quorum fidem præsentes nostro sigillo munitas fieri,ac regratiari iussimus. Dat. Mediolani die 14. Decembris 1577. Subscripta gratis in angulo Octauius Robertus, & sigilata &c.

Suprascriptum Priuilegium, præsentatum, & registratum fuit offitio statutorum Communis Mediolani in libro Decretorum signato V. folio 17. atic. sub die Martis 17.

De-

Decembris 1577. Franciſcus Grita pro ſpectabili D. Ghirardo Gandino L. I. Magnifici Domini Gubernatoris dicti offitij Statutorum ſubſcripſit.


Regiſtrate in libro Anni 1577. penes me infraſcriptum Reg. D. C. Illuſtriſsimi Dominij Mediolani notarium exiſtentes in folio 225. Ceſar Regainus.

Regiſtratum ad offitium prouiſionum Mediolani in libro Regiſtrorum anni 1577. penes notarios dicti offitij exiſtens.

Io. Franciſcus Homatus præfati offitij Notarius ſubſcripſit.

A tergo regiſtrate in filo patentium &c.

F I N I S.





Sine ' T

